

RAYMUNDUS TELLERÍA

RELATIO THEANENSIS AN. 1753  
SUPER PRIMORDIIS CONGREGATIONIS  
SS. SACRAMENTI AC INSTITUTI ALFONSIANI

Primordia Instituti Alfonsiani collustrare olim satagemus ope *Relationis*, quae apud Curiam Theanensem (Teano) inserta fuit anno 1753 libro manuscripto Sacrae Visitationis cathedralis ecclesiae aliorumque piorum locorum eiusdem civitatis (1). *Relationis* transumptum porreximus quoque consodali nostro, de origine Instituti Alfonsiani abunde tractaturo (2); textum vero *Relationis* nunquam in lucem mandavimus, donec plures eiusdem notitiae confirmari possent aut immutari ex aliis archivorum indicationibus: quas hodie possidere credimus, ea saltem mensura quae necessaria videbatur ad documenti momentum historicum rite ponderandum et illustrandum. Eius namque praestantia ex eo dimanat, quod in mediam scaenam primitivae nostrae historiae introducit novam Sodalitatem sive Congregationem calabram, prius Rendis (Rende) ortam, exinde Theanum translata, cuius vir eximius D. Baptista De Donato adscitus mox Scalae invenitur inter primos S. Alfonsi socios; quin etiam (ut videtur), eisdem ad breve tempus praefectus. Unde tamen post aliquos menses recedens, adhaesit Theani iterum Sodalitati originitus calabrae, postmodum insignitae titulo Congregationis SS.mi Sacramenti, sub moderamine supremo D. Vincentii Mannarini, ex-socii quoque S. Alfonsi decursu priorum mensium foundationis Scalensis.

Ad plenioram ergo intelligentiam infra scriptae *Relationis*, quae manet scopus hodierni nostri articuli, hunc in tres partes dispescimus, quarum prima scrutatur antecedentia locorum personarumve, tum quoad erectionem Rendis factam an. 1703-1705 eremitorii (*ritiro*) seu collegii scholis popularibus fovendis destinati, tum speciatim quoad D. Ioannem B. De Donato, an. 1724 migrantem ex hoc collegio in civitatem Theani, tum etiam quoad eiusdem Ioannis B. De Donato adscriptionem temporariam Instituto alfonsiano: a quo ille discessit redintegraturus Theani, cum D. Vincentio Man-

(1) R. TELLERÍA, *San Alfonso Maria de Ligorio*, I, Madrid 1950, 213.

(2) M. DE MEULEMEESTER, *Origines de la Congrégation du Très Saint-Rédempteur*, I, Louvain 1953, 71, 86.

narini, primigeniam Congregationem docendis adolescentibus conformandam; his antecedentibus adiungimus quasdam elucidationes circa auctorem *Relationis* et circa huius hodiernam praesentiam in archivo Curiae Theanensis.

Pars secunda nostri articuli reservatur genuino textui *Relationis*, fideliter (in quantum fert humana fragilitas) transcripto ex codice originali, ordinarie lectu et captu haud difficili.

In tertia demum parte coadunavimus quaedam corollaria sive consecraria, quae absque utriusque praecedentis parte operatione et confusione nequibant adnotationibus aggregari: et quae nihilominus debent necessario praenosci ab eo qui velit persequi studium futuri tentaminis, facti nempe ann. 1746-1747 a Cappellano Maiore atque a marchione Brancone, ut denuo in unum corpus coalesceret utraque Congregatio, cuius prima separatio vivide enarratur in *Relatione*. Haec namque corollaria aperte commonstrant utriusque viam ab initio divergentem: aliam quidem scholis potissimum ligatam, aliam vero missionibus popularibus specificè deditam.

## I

## ANTECEDENTIA POTIORA QUATENUS IN RELATIONEM INSERUNTUR.

I. - *Rendis erigitur an. 1703-1705 eremitorium (ritiro) pro scholis popularibus.*

Rendarum oppidum, quod nuper invisimus, occupat editum collem, ubi stat circumquaque patens subiacenti viridique valli, moeniis olim solidis cinctum, dominio feudali familiae Mendoza longos annos obnoxium, provinciae Calabriae «Citra» adscriptum (3) Numerabat eo tempore 4.000 incolas, quibus in Christo conformandis invigilabant haud pauci sacri ministri, prae primis ex paroecia S. Mariae Maioris, ex ecclesia S. Mariae «della Consolazione» atque ex coenobio S. Mariae «delle Grazie» PP. Minorum Observantium.

Attamen initio saeculi XVIII, quoniam etiam dissitas Calabriae regiones agitabat febris sacra, universo regno fere communis, ineundi nempe scholas populares, has instituere cogitarunt nonnulli sacerdotes cusentini sub directione D. Ioannis Belmonte (4), et quidem ante annum 1700 si fidem *Relationi* adstruimus. Initialis oppositio, ut sese Societati Iesu adfiliarent, tribuenda est Rev.mo

(3) G.M. ALFANO, *Istorica descrizione del regno di Napoli*, Napoli 1795, 86. In protocolis interdum memoratur «la corte marchionale», regendae iustitiae in oppido praeposita.

(4) In libris paroecialibus occurrit quandoque cognomen Belmonte, sed nullum comperimus vestigium D. Ioannis Belmonte.

archiepiscopo D. Eligio S. Caracciolo, vita functo in Frascati (5) die 17 octobris an. 1700: minime autem adiudicanda Rev.mo Andree Brancaccio, uti fert *Relatio*; is equidem, clericus regularis theatinus sicuti eiusdem antecessor, translatus fuit e Conversano in sedem Cusentinam die 18 aprilis an. 1701 atque expresse inducitur a documento notarili adprobans novum collegium (6); quin etiam, ni fallimur, ipsemet comparet hodieque in depicta tabula penes sacristiam pii loci adservata, in qua exhibentur quattuor primi Instituti sodales coram B.M.V. effigie (7).

Utcumque res sit, operis initium practicum defigitur biennio 1703-1705 sub afflatu P. Nicolai Fragiorgi, S.I., ac convenientibus in unum tribus quattuorve loci sacerdotibus, quorum primores censebantur D. Xaverius Pugliese et D. Ioannes Belmonte. Conducta igitur intra oppidum domo, absque mora parvam scholam instituerunt, iam ex tunc rati se in oppidis ruralibus praestare posse operam docendi adolescentes necessariam cunctisque ruricolis appetibilem: simul tamen alia obibant ministeria sacerdotalia praedicationis et confessionum, adeo sane fructuose et cum tanto civium plausu ut, post quinquennium a prima domo conducta, iacerent extra moenia oppidi fundamenta ad novam collegii sedem struendam.

Tum vero coaluit atque in notariles chartas ascendit protestatio tum Minorum Observantium Rendis commorantium, tum PP. Reformatorum vicinioris oppidi S. Fili, metuentium ne elemosynarum cursus deflueret in beneficium novae Institutionis (8). Sed e contra tam Rendarum syndicus quam saniores loci cives publica deliberatione probarunt ac tueri voluerunt operam et intentionem

(5) F. RUSSO, *Storia dell'arcidiocesi di Cosenza*, Napoli 1957, 512-513.

(6) Cfr infra, nota 9.

(7) Linteum depictum, incuria temporum sat corrosum, exhibet: a) in alto effigiem B.M.V., ut videtur de Monte Carmelo, utpote quae manu propria et manu divini Infantis tenet bina scapularia, cum gaudio angelorum circumstantium; b) ad pedes B.M.V. stat vir ecclesiasticus, nigra talari veste (cum albo collari) seu potius « zimarra » indutus, at pectorali cruce insignitus; c) quattuor iuniores clericos, puta novitios, genuflexos et mystico fervore raptos, quibus ille manu dextra praesidium B.M.V. indicat.

(8) Ecce protestationis elementa essentialia: « Die octava m.s. maij millesimo septingentesimo decimo in Terra Rendarum... Nel prossimo passato lunedì del corrente mese di maggio a richiesta del P. Gio. di Santoro, del P. Antonio di Pomarico guardiano e di tutti l'altri frati sacerdoti e laici di questo convento di S. Maria delle Grazie de' minori osservanti di questa Terra di Rende, con li quali si erano associati li monaci riformati di S. Fili, si sono portati assieme col giudice nel luogo dove hanno principiato una fabrica... alcuni RR. Sacerdoti... Il pred° Notar Gennaro principiò a leggere una scrittura. Detti frati asseriscono nel foglio che intendendo diversi sacerdoti di questa Terra per nome D. Saverio Pugliese, D. Gio. Belmonte e D. Marco Pinto fondare in d° luogo Manco un Istituto con proposito di vivere con elemosine, non possidendo detti sacerdoti robbe... A questo rispose ...era una falsità...: che i RR. Sacerdoti nominati in questo foglio tengono li loro patrimonij, principalmente D. Saverio Pugliese, il quale possiede diversi stabili... ». Arch. di Stato, Cosenza, Prot. Not., Domenico Mazza, 1710, f. 33.

missionariorum, quos summis laudibus decorarunt (9). Praefatus ergo D. Xaverius Pugliese, sive ex aliorum donationibus, sive ex proprio penu annis 1713-1714 festinus curavit ecclesiam domumque fabricare (10): quibus tandem an. 1715 feliciter coronatis, mansit ille diuturnus collegii moderator ac Congregationis localis ductor, quippe qui in Synodo dioecesana sub Rev.mo D. Vincentio M<sup>a</sup> d'Aragona, habita die 19 maii an. 1737, includitur « utriusque iuris doctor » inter iudices synodales tanquam Congregationis missionariorum « terrae Rendarum rector » (11): idemque adhuc memoratur in Regesto officiali (*Catasto*) an. 1741 inter sacerdotes Congregationis (12), quae anno praecedenti existentiam suam simulque activitatem habuerat ratam ex benevolo regis edicto, utique obnoxio

(9) Ex opposito ecce defensionis seu « testificationis » praecipua capita: « Die decima nona m.s junij millesimo septingentesimo decimo in Terra Rendarum... Costituito nella presenza nostra il Sig. Pompeo Fazzante, odierno sindaco della Terra d' Rende... spontaneamente aserisce come cinque anni sono mediante licenza di Monsig.r Andrea Brancaccio, arciv<sup>o</sup> di Cosenza si unirono in questa Terra di Rende in una casa improntata alcuni sacerdoti secolari con i loro patrimoni, adorni di dottrina e bontà di vita e missionarij, acciò liberati d'ogni cura del secolo attendessero alla salute de' prossimi, come già fervorosamente han fatto e stanno tuttavia facendo con varij e profittevoli esercitij di scuole, che gratis tengono a tutti aperte d'istruzione e dottrina cristiana, fatte non solo per la Terra, ma per le campagne e villaggi, di prediche e confessioni, d'assistenza a' moribondi e poveri all'ospidale et altro: per li quali esercitij e molto più per la vita tanto illibata, ritirata et esemplare delli medesimi sacerdoti, mosso questo publico fece calde istanze alli medesimi che per stabilirsi con tanto bene si trattase di fabricarli una stanza o casa adatta e proportionata, assieme con la chiesa per potervi essi sacerdoti abitare et esercitare i nominati ministerij: come già per gratia di Iddio due anni fa, essendo preceduto il consenso del Sig. Marchese nostro Padrone e di questa Università [*id est, municipii*] in publico parlamento, si diede principio, essendosi comprata una possessione, parte della quale cominciò ad appianarsi per la sud<sup>a</sup> fabrica... ». Arch. di Stato, Cosenza, l. cit., Domenico Mazza, an. 1710, f. 45. Pergit prolixi instrumenti pars altera, qua syndicus nomine proprio ac publicae opinionis refellit « praetensiones » minorum observantium Rendarum ac PP. reformatorum oppidi S. Fili.

(10) « Pro fabrica S. Josephi Ritiri donatio. Die prima martij millesimo septingentesimo decimo tertio in Terra Rendarum. Costituito... il R.do D. Marco Priete di questa Terra, uno delli RR. PP. Missionarij di d<sup>a</sup> Terra... asserisce... l'anni passati haver fatto donazione inter vivos al R. Clero di detta Terra di tutti i suoi beni stabili...: ha risoluto primieramente rivocare, come rivoça, d<sup>a</sup> donazione...: ha risoluto far donazione irrevocabile inter vivos a beneficio di d<sup>o</sup> Ritiro di S. Giuseppe... ». Arch. di Stato, Cosenza, Prot. Not., Domenico Mazza, an. 1713, f. 17. - Item: « Die 14 Januarij 1714... Il R.do D. Saverio Pugliese Procuratore della fabrica del Ritiro di S. Giuseppe, soggiunge per d<sup>a</sup> fabrica haver avuto et haver bisogno di molti legnami di castagno... ». Quae quidem ligna ipse emit ex donatione accepta. Ibid., an. 1714, f. 12. - Ibidem (fol. iv) comparet D. Xaverius Pugliese atque asserit quomodo pater suus D. Iosephus adsignavit censum pro celebratione 50 missarum annuarum intra cappellam divi Francisci Xaverii « Ecclesia Matris » Rendarum, id est, S. Mariae Maioris.

(11) Cfr *Prima Dioecesana Synodus* a Fratre Vincentio Maria de Aragona, arch<sup>o</sup> consentino, ... habita die 19 mensis maii 1737, Romae ex typ. Cam. Apost. 1737, p. 68. In Bibliotheca Provinciali Cusentiae consulimus pariter *Primam Synodum* (Venetijs 1707) et *Secundam* (Romae 1715), utramque habitam sub ductu Rev.mi Brancaccio, a quibus abest allusio quaevis ad novam Congregationem in oppido Rendarum, interea laboribus exstructionis insudantem.

(12) « R.vdo D. Saverio Pugliese, sac. missionario, d'anni 64. Abita nella casa della Cong.ne de' Sacerdoti Missionari di questa medesima città. Possiede... ». Arch. di Stato, Napoli, Catasto, v. 5. 795: Rende, an. 1741, f. 225. - In eodem volumine (f. 309) subditur:

suetis regalismi conditionibus. Posthac per saeculum et ultra Rendis perrexerunt illi exercere magisterium in scholis ac pro populo ministeria apostolica, donec versus an. 1860-1865 submersi sunt a perturbationibus politicis, quae congregationes religiosas iniqua suppressione mulctarunt. Memoriam tamen sui, et quidem profundam atque honorandam reliquerunt apud regionem usque in hodiernos dies, quin tamen eandem perceperit atque agnoverit nuperime dioecesis Cusentinae historicus (13).

2. - *Ex Eremitorio Rendarum transmeat an. 1724 opus scholarum in civitatem Theani, duce D. Ioanne B. De Donato.*

Similem vivendi rationem independentem ac solitariam, certe haud unicam in aliis regni sodalitatibus, praecesserat an. 1724 translatio « palmitis » Congregationis calabrae in regionem Campaniae Felicis, uti nos docet *Relatio*. Enimvero memoratus P. Fragiorgi ignatianus, quem operis consiliarium ac fautorem continuum inducit Relator, fit nobis obvius an. 1720 in protocollis notarilibus tanquam adscriptus collegio urbis Capuae (14): unde facile potuit primum tentare transmigrationem sodalium a Rendis in Aversam, mox an. 1724 eosdem demorari in civitate Theanensi.

Expeditionis « praefectus » (15) fuit constitutus D. Ioannes B. De Donato, cuius vitae curriculum nostra valde interest ob eiusdem subsequentem aggregationem Instituto alfonsiano. Porro ex libris paroecialibus atque ex protocollis notarilibus emergit familia De Donato (16), commorans Rendis iam ab anno 1689, at e Cu-

« Ven.le chiesa di S. Giuseppe della Cong.ne de' Sacerdoti Missionarj extra moenia possiede... Pesi: per olio per la lampada continuamente ardente inanzi al Ven.le e per cera per l'Esposizione del medesimo... Per cera per l'Esposizione del Ven.le nella novena precedente la festa di S. Michele ». De cetero nomen D. Xaverii Pugliese hodieque celebratur marmoreo lapide intus ecclesiam: « Saverio Pugliese / del sacerdozio onore / e della patria / nel 1715 fondò / Capomastro rendese Belmonte Francesco / artisti egregi adibi / Nel 1754 passò alla Gloria / Alfonso Verzillo sac. / a tale benemerito pose nel 1899 ». Praeter altare maius, ornatum pulcherrimo linteo Sponsaliti S. Ioseph, dicatur S. Patriarchae aliud altare, tertium vero B.M.V. de Monte Carmelo.

(13) Historicus praecitatus (supra, nota 5) semel atque iterum super Rendis scribit (Cfr *Indice*, voce *Rende*) quin suspicatus sit ibidem extitisse et floruisse collegium S. Ioseph.

(14) « Die vigesima m.s. januarii millesimo septingentesimo vigesimo Neapoli... In nostra presenza il Rev.do P. D. Nicolò Fraggiorgio della Compagnia di Gesù, residente nel Collegio di Capua, e presentemente di passaggio qui in Napoli...: et il m<sup>o</sup> Carlo Schisano argentario... ». Arch. di Stato, Napoli, Prot. Not., Gregorio Servillo, an. 1720, f. 45. Negotium inter ipsos agendum respiciebat « una statua del glorioso S. Michele Arcangelo ».

(15) Vox « praefectus » in hoc casu retinet odorem ignatianum, id est, nomenclaturam qua instar Congregationis marianae indiderat P. Fragiorgi novo sodalities docenti.

(16) Etsi hodie quaestio parvi aestimatur, animadvertimus discrimen circa praepositionem « de vel « di » ante cognomen Donato. Haec praepositio adest in *Relatione* et in notariis Theanensibus ac proinde usurpata saepe fuit a biographis alfonsianis. E contrario prorsus deest in paroecialibus Rendarum libris atque in protocollis Cusentinis fa-

sentia procedens (17) : eiusdem coniuges, nimirum « magnificus » D. Antonius De Donato et D. Sigismunda Guccioni exhilarati sunt quinque saltem filiis : Ioanne Baptista, Ioanne Giacomo, Iosepho, Marco et Lucretia, quorum duo — Ioannes B. et Iosephus — militiae ecclesiasticae sese manciparunt.

Lacunosa librorum paroecialium series nos vetuit quominus diem natalem et annum exactum pro Ioanne B. exscriberemus : attamen nativitatis annum 1687 eidem adfigimus cum morali certitudine, quia in protocollo notarili an. 1712 infra citando (nota 19) inducitur ille 25 annos natus. Ab adolescentia, immo forse a pueritia versus vitam claustralem inclinans, sese iuxta *Relationem* adiunxit an. 1707 — iam a biennio clericus (18) — parvo agmini ecclesiasticorum, qui Rendis collegium praeindicatum S. Ioseph initiare et provehere contendebant. Tum vero post quinquennium, mense nempe augusti an. 1712, semel atque iterum coram notario iam subdiaconus sistitur, ut sui patrimonii titulum reddat subsistentem et cautionibus legalibus solide munitum, intra speciales familiae suae condiciones (19).

Iure igitur praesumitur quod hoc ipso anno 1712 vel sequen-

miliam respicientibus. Quapropter opinamur particulam « de » vel « di » adiunctam fuisse « ad honorem » D. Ioanni B. Donato, procul a familia et suis contribulibus clarissimo : inde, opinione nostra, rectius detrahitur quam adiungitur praepositio eiusdem cognomini.

(17) Die 30 ianuarii an. 1689 Rendis baptizatur Lucretia, nata « ubi dicitur la Crocchiarina ex Antonio Donato et Sigismunda Guccioni conjugibus ». Arch. Parrocchiale, Rende, Lib. Bapt. 1683-1709, f. 35. - Liber praecedens respicit annos 1647-1672. Inter utrumque adest lacuna, quam in hoc articulo connotamus.

(18) « Eodem die trigesimo m.s. gbris millesimo septingentesimo quinto in Terra Rendarum... Constituiti nella presenza nostra il C[leric] Gio. Batt<sup>a</sup> Donato di questa Terra di Rende... e la m.ca Sigismonda Guccione sua madre col consenso del m.co Antonio Donato suo marito..., necnon la m.ca Caterina Donato, sorella utrinque congiunta di d<sup>o</sup> Antonio e zia di d<sup>o</sup> Cl<sup>o</sup> Gio. Batt<sup>a</sup> ...E perche esse Sigismonda e Caterina hanno più e diverse volte deliberato nella loro mente di far donazione irrevocabile fra vivi al d<sup>o</sup> Cl<sup>o</sup> Gio. Batt<sup>a</sup> loro figlio e nipote rispettive, cioè d<sup>a</sup> m.ca Sigismonda di una casa, ut supra,, e d<sup>a</sup> m.ca Caterina di doc. cento have e tiene sopra d<sup>a</sup> spettiaria : con conditione però che vita durante di dette donanti si riserbano l'usufrutto di quelli : e dopo la morte, in d<sup>a</sup> casa habbia d<sup>o</sup> Cl<sup>o</sup> Gio. Batt<sup>a</sup> habitare assieme con suoi fratelli et usufruttuanti detti doc. cento... ». Arch. di Stato. Cosenza, Prot. Not., Domenico Mazza, an. 1705, f. 101.

(19) Die septimo m.s. augusti millesimo septingentesimo duodecimo... Constituiti in m.co Antonio Donato della città di Cosenza, commorante in questa Terra di Rende... Et il suddiacono Gio. Batt<sup>a</sup> Donato, figlio legittimo... e di età di anni 25... ». Loquitur de patrimonio iam constituto ac de legatis subdiacono addictis « congiuntamente alli m.ci Gio. Giacomo, cl<sup>o</sup> Giuseppe e Marco suoi fratelli utrinque congiunti ». Mox Ioannes B. Donato transfert patri suo proprietatem patrimonii, servans sibi illius usufructum ac centum ducatus, subiungens : « Dichiaro e vuole esso suddiacono Gio. Batt<sup>a</sup> che d<sup>a</sup> donazione [*in beneficium patris sui*] s'intenda fatta ogni qual volta stesse o morisse nel Ritiro [ *S. Ioseph, Rendarum*] o pure si facesse religioso in qualche religione : ma stando nel secolo et uscendo dal Ritiro, dove al presente si ritrova, d<sup>a</sup> donazione sia irrita e nulla ». Protocollo adnexa praebet supplicatio autographa, qua D. Ioannes B<sup>o</sup> Donato deposcit ab archiepiscopo veniam donando patri suo dominium in patrimonium, sibi reservato eiusdem usufructu et constituta portione legitima 100 ducatorum : supplicationi respondit affirmative Vicarius Generalis die 27 iulii an. 1712.

ti (20) ad fastigium sacerdotii conscenderit intra eremitorii Rendarum sodales: quibus post decennium ita visus est virtutibus praeditus ac in negotiis gerendis versatus, ut capax fuerit qui praeficeretur an. 1724 exordiendo collegio Theanensi. Exordia et progressus foundationis nobis succincte enarrat adnexa *Relatio*, cui in parte tertia nostri articuli subnectimus protocollum notarile an. 1740, ubi — teste Rev.mo loci Ordinario — describitur nova Congregatio « ab anno 1725 erecta et fundata in domo et ecclesia S. Augustini, cum facultate pueros et juvenes in litteris instruendi, doctrinam christianam populo explicandi, verbum Dei praedicandi, congregationes sacerdotum et secularium faciendi, retinendi et custodiendi in dicta ecclesia SS. Eucharistiae Sacramentum et illud saltem in hebdomada et in octava SS.mi Corporis X.ti publicae venerationi exponendi... ». Quae quidem activitatum hierarchia mutua praebet nobis clavim, ut intelligamus dissidium postmodum oriturum inter D. Ioannem B. De Donato et S. Alfonsum.

Enimvero sodalium manipulus Theani constitit, eosdem iuvante atque fortiter excitante P.e Fragiorgi, totius operis moderatore. At is ereptus est e vivis an. 1731, iisdem fere diebus ac S. Alfonsus secum deliberabat de condenda nova Congregatione specificè missionaria. Nescimus quam via pervenerit haec deliberatio ad aures D. Ioannis B. De Donato: qui, ob P.is Fragiorgi mortem percussus ac dimissus animo, voluit adscribi anno sequenti inter primos S. Alfonsi socios; seu potius tentavit eosdem attrahere intra circuitum suae Congregationis Theanensis.

3. - *Ioannes B. De Donato an. 1732 incorporatur Instituto alfonsiano, a quo post quinque menses recedit cum D. Vincentio Mannarini, Theanum rediturus.*

Quoniam Instituti alfonsiani annales primi sunt aliunde noti, eosdem per summa capita nunc recolimus quatenus respiciunt tentamina D. Ioannis B. De Donato. Huius petitionem, ad sese Instituto cooptandum, exceperunt diffidenter mense augusti an. 1732 S. Alfonsus eiusque director Rev.mus Falcoia, quibus ille praemiseraat statuta Congregationis Theanensis (21). Diluta sal-

(20) Anno 1713 inter subdiaconos cooptatus fuit eius frater Iosephus. « Eadem die sexta ms. martij 1713... Costituito il m.co Antonio Donato... asserisce come sotto li undici settembre del 1708 have fatto donazione sub titolo patrimonij al Cl° m.co Giuseppe Donato... E poichè d° Cl° Giuseppe intende con l'ajuto di Dio ascendere all'ordine del suddiaconato... ha risoluto ratificare d° donazioni... ». Arch. di Stato, Cosenza, Prot. Not., Domenico Mazza, 1713, f. 19v.

(21) Ad rem Rev.mus Falcoia praemonet S. Alfonsum die 24 augusti an. 1732: « Mi piacerebbe... con la vostra destrezza, da lui (e se potete per altra strada ancora) cavar

tem partialiter diffidentia initiali, D. Ioannes B. De Donato a mense novembri eiusdem anni fuit particeps primae communitatis alfonsianae, quae Instituti cunabula disposuit in civitate Scalensi; quin etiam, saltem post primos menses, egisse videtur ille ibidem instar superioris, forsitan ratione suae maturioris aetatis inter socios, aut annis quadam experientia vitae communis Rendis Theanive acquisita, minime autem suffultus signaculo auctoritatis supra Congregationem universam (22).

A primis siquidem cohabitationis diebus non modo ipse in medium prompsit praeconcepta sua atque priora educationis experientia, verum etiam textum regulae Theanensis: adeo ut mitis S. Alfonsus criminaverit eum tamquam inhiantem imponere novo Instituto Scalensi statuta Theanensia, quibus subscribendis renuebat absolute Sanctus missionarius (23). Utriusque eximii viri discrepantiam fatetur ac palam exponit *Relatio* infra adferenda, adductis etiam minoris furfuris punctis in quibus uterque dissentiebat.

At opus est sublineare veram radicem dissidii, scilicet: incompatibilitatem practicam, et fortasse etiam speculativam (24), inter Congregationem plene missionibus deditam et Congregationem docendis iuvenibus primordialiter accinctam. Agebatur porro de

---

il netto del fine, perché quell'ottimo sacerdote vuole lasciare quella sua Congregazione che pure fa del bene, e fare questo passaggio. Io ho qualche motivo da sospettare, possi esservi qualche cosa nascosta». MONS. T. FALCOIA, *Lettere*, ed. O. Gregorio, Roma 1963, 103.

(22) Quaestionem de primo Scalensi superiore solvere definitive vetat lacuna coaetanea protocollorum notarilium. Ven. lis Maria Caelestis Crostarosa memorat in sua *Autobiographia* (f. 102) primum superiorem fuisse can. D. Petrum Romano, Sororum confessarium: et iure quidem, quia is erat ortu suo Scalensis, et spiritu atque « orientatione » obnoxius Rev. mo Falcoiae ac S. Alfonso potius quam D. Ioanni B. Donato. - Ex alia parte, post primas hebdomadas, quando die 3 decembris an. 1732 inchoatur processus super apparitionibus in S. Hostia, praecedit S. Alfonsus inter testes nec ulli eorum tribuitur honos superioris (*Spic. Hist.*, I [1953] 76, 78). Demum mense martio an. 1733, paulo ante separationem, scribit S. Alfonsus: « Io venero il Superiore e so che debbo ubbidire nelle Regole stabilite; ma non mai ho avuto intenzione di stare a quelle regole che fa il Signor D. Giov. Battista. Obbedirò in ciò solamente a quel che stabilisce Monsignor Falcoia, mio direttore e direttore certamente di tutta questa opera » (*Lettere di S. A.*, I, 26). Unde relucinat aspectus mere externus sive occasionalis superioratus, si quis fuerit, penes D. Ioannem B. Donato hisce postremis mensibus.

(23) « D. Giovanni Battista conserva l'affetto alle sue Regole antiche: onde... sta costante a non volere il coro, cosa così principale, e vorrebbe introdurre, in somma, fra noi le Regole sue ». *Lettere*, I, 24.

(24) « Speculativam » dicimus, quatenus uterque finis specificus, scilicet docere aut missionaliter evangelizare, secum fert necessitatem conformandi Institutum eiusque membra necnon media essentialia ad consecutionem metae seorsum sibi praefixae. Ceterum historia docet quod Congregationes religiosae ut tales (non earumdem singula membra vel portiones plus minusve numerosae) adeptae sunt aegerrime utrumque scopum, docentem nempe atque intra patrios confines missionarium. Dum scribimus, denuo ad trutinam nova luce evocatus fuit casus S. Iosephi Calasantii, qui postquam intervallo fere decennali suum opus scholarum coniunxit cum apostolicis ministeriis filiorum S. Ioannis Leonardi, unionem dirumpere coactus est. Cfr BAU CALASANZ, *Revisión de la vida de S. José de Calasanz*. Cfr *Analecta Calasantia*, 10 (1963) 106 ss.



utriusque societatis fine specifico, cuius pondere ac sigillo unaquaque in sua essentia constitueretur atque ab aliis distingueretur: ideoque ex impulsu inderogabili eiusdem scopi specifici spectabat, cuique earum, sibi praestituere media immediata magis apta ad finem optatum assequendum.

Huius pugnae vicissitudines internas alternasve nobis sufficienter insinuat *Relatio*. Nec, aliunde, necesse est nimis insudare ad dilucidandum et diluendum problema psychologicum utriusque eximii dissentientis: siquidem S. Alfonsus, Scalam adveniens post octo annos experientiae naviter missionariae, nuperrime ibidem coronatos illustrationibus specialibus B.M.V. «di Monte» (25), hanc missionum popularium semitam fideliter posthac calcare et novis adscitis sociis dilatare gestiebat, adiutus etiam experientia ac dignitate Rev.mi Falcoiae, Praesulis Stabiensis (Castellammare di Stabia), antehac missionarii strenui inter pios operarios. In animum ergo sibi induxit consuere vexillo Congregationis nascentis tesseram specificam missionariam: unde ex vitali finis exigentia praediligebat — *Relatione* teste — domos Instituti extra civitatum moenia condendas, in aprica solitudine speciatim repositas ad evangelicos praecones seorsum pascendos officio choralis, studio disciplinarum magis congruentium confessariis, exercitio virtutum poenentialium aliisque vitae stricte communis adiutoriis, quin interea in propriis domibus confovere deessent exercitia spiritualia continuo viris ecclesiasticis ac laicis tradenda.

Quod si hisce Instituti primordiis, tribus nempe quattuorve annis initialibus, morem gerens placitis sociorum, S. Alfonsus haud nimis abhorruit a scholis infimi gradus consociandis cum specifica activitate missionaria, id annuisse ac tolerasse certum est ex motivis externis, puta: desiderium aperiendi viâ scholarum ostium novis foundationibus, a lege civili propter magistros minus irritis: item spem sibi per scholas populares attrahendi adolescentium vocationes simulque alliciendi erga communitatem benevolentiam populi eiusque rectorum, quibus eo tempore inesse coeperat febris quaedam instructionis popularis (26).

Ex opposito D. Ioannes B. De Donato comparet in *Relatione* cinctus corona fere gloriosa. Relatorem secuti, etiam nos silentio tegimus nomen D. Silvestri Tosquez, unici viri laici inter quat-

(25) Cfr *Spic. Hist.* II (1963) 361-363.

(26) Cfr *Spic. Hist.*, IO (1962) 196-197. Etenim ab an. 1732 vel 1733 in folio autographo rescripserat: «*Scole*. 1. Sola grammatica e lettere umane. - 2. Ogni 4 anni di scola. Non dispensa. - 3. Servono per coltivare la gioventù, per essere accetti ai luoghi, per sciogliere soggetti». Cfr R. TELLERÍA, *San Alfonso*, I, Madrid 1950, 211.

tuor sacerdotes, qui Scalae convixerunt primis Instituti hebdomadibus. Huic viro laico, reipsa singulari ac fere extraordinario, reservamus ampliolem articulum, conflandum ingente documentorum mole, quae sensim sine sensu ex archivis ad cellarium nostrum alfonsianum pervenerunt. In casu nunc ventilato, separationis nempe Scalensis, si ad personas in eventibus commixtas respicias, occurret tibi vir iste laicus quasi «diabolus ex machina», qui sua agendi loquendive versutia, ductoris etiam supremi partes sibi arrogans, abalienavit magis sociorum animos a S. Alfonsi et Rev.mi Falcoiae propositis. Sed de his alias (27), quandoquidem *Relatio* maluit iure meritoque adducere dissidium ideologicum tanquam veram radicem separationis. Verum enimvero, iuxta ipsam *Relationem*, D. Ioannes B. De Donato, fidum se dicens heredem ignatiani P. is Fragiorgi, ambiebat «in municipiis oppidisque parvisque locis eadem munera obire, quae Societas Iesu in magnis urbibus tanto emolumento praestat: iuventutem litteris bonisque moribus instituere, piis exercitationibus fidelium mentes excolere, poenitentiae atque Eucharistiae sacramenta administrare, verbum Dei evangelizare». Ita sese exprimit *Relatio*. Sodalitatis ergo scopus primarius atque specificus cum esset docere iuvenes eosque in Christo educare, eo ipso cogebatur uti mediis sibi consonis ac prae aliis seligere loca habitantium numero sat conspicua atque in ipsis, quoad possibile, centrum urbanum ad collegia instauranda haud procul ab alumnis, sicuti ad initio Theani aperire saterat.

Ideologiae itaque discrimen separavit denique personas in contrarias directiones: ex una parte, Scalae mansit S. Alfonsus sub ductu spirituali Rev.mi Falcoiae; ex alia, abierunt D. Ioannes B. De Donato, cui adhaeserunt D. Vincentius Mannarini et D. Silvester Tosquez, praeter unum alterumve socium primigenii Sodalitii, morantem Theani. Remissa ergo in ulteriorem articulum figura complexa D. Silvestri Tosquez, immoremur paulisper in D. Vincentio Mannarini, quem *Relatio* nuncupat primum magistrum generalem Congregationis et cui postmodum adiudicatus est honos veri Fundatoris PP. SS.mi Sacramenti.

Mannarini cognomen illa aetate non est insuetum apud notarios Rendarum (28). Attamen noster D. Vincentius natales habuit

(27) Super hac periodo D. Silvestri Tosquez praemisimus quasdam notitias in praememorato articulo. Cfr *Spic. Hist.*, 10 (1962) 195.

(28) Apud supra citatum notarium Dominicum Mazza comparet saepe Rev.dus D. Hieronymus Mannarino «di questa Terra di Rende. Anno 1705, f. 53; 1706, f. 21, 22v, 67; 1707, f. 19; 1713, f. 162; 1714, f. 91. - Item apud supra memoratum Regestum (*Catasto*) f. 309». Chiesa di S. Maria della Consolazione... Legati di messe [sedici] per il qm. R. D. Geronimo Mannarini ».

in civitate Rossano, et quidem — iuxta praecitatum *Relationem* — oriundus ex nobili gente Labonia, quae sane in protocollis notarilibus Cusentiae (Cosenza) exhibetur publica munia exercens (29). Libri paroeciales Rossani nondum mihi tradiderunt necessarium baptismi actum, sed ex ulteriore eiusdem D. Vincentii testimonio edocemur illum fuisse natum an. 1700 (30). Praetermittimus tempus ac modum, quo ipse Neapoli ingressus est Institutum S. Familiae a Rev.do D. Matthaeo Ripa an. 1729 fundatum, necnon omittimus munia quibus in collegio functus est.

Duo tamen connotamus: primum, quod communitatis S. Familiae ille particeps se intima amicitia ligavit cum S. Alfonso ibidem convictore, quem viribus fractum comitatus est an. 1730 in peregrinatione ad sanctuarium B.M.V. «di Monte» (31); secundum, quod, etsi vir pronus ad apostolica ministeria, exercuisse potius videtur sub ductu P. is Ripa munera docendi alumnos sinenses in collegio exstantes atque in Sinense imperium mox redituros: unde suspicari licet apud ipsum fuisse natam aut intimius radicatum inclinationem quamdam ad cathedram magisterii potius quam ad suggestum missionarii. De facto siquidem, postquam mense novembri 1732 adstitit Scalae Congregationi alfonsianae nascenti voluitque statim interesse primis eiusdem missionibus in valle Tramontii, palpavit praedicationis obstacula sibi fere impossibilia (32).

Nihil proinde mirum quod, absolutis hisce missionibus, praecitatus animi status in causa etiam fuerit ut, cum D. Ioanne B. De Donato ac D. Silvestro Tosquez, probaret ac proveheret inter Tramontiates experientiam scholarum, quam non ita pridem illustravimus (33) ac de qua iterum breviter loquimur propterea quod,

(29) «Die prima m.s maij 1729 Rossani. Constituti... il Sig. D. Ignazio Mannarino della città di Rossano... asserisce come mediante publica conclusione universale è stato eletto per Mastro Giudice de' Nobili di questa med<sup>a</sup> città per un anno continuo... e come tale li bisogna la Regia Bandiera per regger Corte in questi giorni otto nella presente Fiera in conformità dell'antico costume...». Arch. di Stato, Cosenza, Prot. Not., Alessio Arnone, an. 1729, f. 29. - Super coaevis claris viris gentis Labonia Cfr Ibid.: Not. Francesco Carbone, an. 1703, f. 126, 145 (etiam D. Ottavio Mannarini); an. 1704, f. 100v.

(30) «Examinatus fuit Romae... R. D. Vincentius Mannarini, presbyter Cong.nis sub titulo SS. Sacramenti, aetatis suae annorum 52». Arch. Vat., Proc. Consist., an. 1752, v. 140, f. 12: Alphan. Eccl<sup>a</sup>. - Agitur de processu Rev.mi D. Caroli Rosati, e Troia oriundi, circa quem adserit Mannarini: «Sono anni 15 in circa che io ho principiato a conoscere il Sig. Prevosto di Canosa D. Carlo Rosati nella nostra Congregazione, o sia casa de' Missionarj di Lucera... conoscendo Mons. Tosquez suo zio, dal quale, come da ogni altro, è tenuto e stimato».

(31) Cfr *Spic. Hist.*, II (1963) 358. Item: 8 (1960) 423 (nota 43).

(32) Ad rem S. Alfonsus dum die 20 decembris an. 1732 communicabat Rev.mo Falcoiae; «Povero D. Vincenzo! Studia come un cane per apparecchiarsi a questa missione di Tramonti, e li farò fare l'Istruzione» [TANNOIA], *Vita* lib. 2, cap. 1, ed. 1798, 85.

(33) Cfr *Spic. Hist.*, I (1953) 67. - Item: 10 (1962) 193.

ex tunc aut paulo post, initialis Rendarum opera nuncupata est Congregatio SS.mi Sacramenti.

4. - *Theanensis Sodalitas resurgit  
sub titulo Congregationis SS.mi Sacramenti.*

Nondum penitus inclaruit quot membra numerabat sodalium ecclesiasticum Theanense an. 1731, quando post obitum P.is Fragiorgi «exiguus iste militum Christi manipulus prorsus dissolvi» cernitur apud *Relationem*; atque e converso proponitur D. Ioannes B. De Donato, animo quidem dimissus, at noviter stimulatus ut Scalae prope S. Alfonsum, grandia molientem, exquireret perfugium; seu melius, carperet Scalae gramina quae zelans apostolus Ligorius seminaverat, quippe quod eadem *Relatio* testatur praefatum D. Ioannem, Scalae morantem, confovisse per epistolas ex-sodales suos Theanenses «regressos propriis domibus»: commercium sane epistolare a Relatore candide insinuatum, quo D. Ioannes tegebat propositum recedendi ab incepto Scalensi, ut intermissum scholarum opus Theani reassumeret: unde talia agens atque ex-sodalibus rescribens, vix liberatur eiusdem animus a criminatione ignobilis calliditatis erga S. Alfonsum.

Iam pridem singulis articulis enarravimus quosdam eventus Scalenses, in *Relatione* pariter memoratos, scilicet: ex una parte, prodigia eucharistica, quae mense novembri an. 1732 in ecclesiola monialium contigerunt adstantibus exordientis Instituti alfonsiani sociis ac viris ecclesiasticis non paucis; ex alia vero, internum schisma inter primos Congregationis operarios suscitatum ac conclusum mense aprili an. 1733: sic tamen agitatum atque ab actoribus seu protagonistis bona tandem fide coronatum, ut de reciproca desertione quidem dolerent, sed vincula caritatis post separationem nequaquam prorsus disrumperent.

Hinc D. Ioannes B. De Donato eiusque satellites, e Scala primum in Tramontium abeuntes, mox inde Theanum remigrantes, sibi a caelo datum crediderunt donum, quod solum pio furto subripere poterant ex thesauro Instituti alfonsiani. Equidem, si quae Scalensibus an. 1732 prodigiis eucharisticis interpretatio tribui poterat, haec cedebat in beneficium Congregationis alfonsianae SS.mi Salvatoris tunc primitus vagientis et quidem sese etiam vergentis in augustissimum altaris Hospitem exercitiis pietatis diurnis nocturnisque fere continuis (34). Age vero, D. Ioan-

(34 Primitivus ordo vivendi, praeter diurnas ad SS. Sacramentum visitationes, suadebat congregatis per vices adorationem nocturnam a vespero (da una ora di notte) teriae V

nes B. De Donato eiusque asseclae, adusti quoque flamma devotio-  
nis eucharisticae, aequum et salutare sibi duxerunt priscum eorum  
Sodalitium vocare posthac, id est, ab ann. 1733-1735 (ut statim  
dicimus), Congregationem SS.mi Sacramenti (35), quam tamen  
plures vulgo rebaptizarunt Congregationem «mannarinianam»,  
sicuti ex opposito compellarunt «alfonsianam» vel «liguorinam»  
(PP. Liguorini) Congregationem SS.mi Salvatoris, deinceps SS.mi  
Redemptoris ex voluntate S. Sedis.

Qualificatio porro «mannariniana» iustificatur ex facto quod  
D. Vincentius Mannarini videtur tandem fuisse delectus primus  
Congregationis superior seu magister generalis, et quidem (ni  
fallimur) ad vitam, ac proinde devenisse eiusdem «organizator»  
ac reipsa conclamatus Fundator (36), etiam in officialibus S. Se-  
dis recentioribus documentis (37). Quoad vero tempus electionis et  
quoad seriem atque annos foundationum existimamus *Relationem*  
theanensem minus sibi et veritati historicae congruentem. Prae-  
mittit namque P. em D. Ioannem B. De Donato eiusque socios  
commoratos fuisse «paulisper» Tramontii atque inde «paulo post»  
abiisse; sed iam pridem monstravimus talem commorationem du-  
rasse quinque annos: 1733-1738 (38).

Silet omnino de resurgente fundatione Theanensi, seu melius

---

usque ad mediam postmeridie feriae VI (*sino alla ventuna del venerdi*). Cfr *Analecta* 2  
(1923) 192. - Praxis autem huius devotionis, etsi cordi iucundissima, stare nequivit cum  
exigentis vitae apostolicae.

(35) Eventum successionem, stante *Relatione* atque ob inopiam documentationis,  
effigimus in hunc fere modum. Anno 1733 D. Ioannis B. De Donato eiusque asseclae habue-  
runt mense martio vel aprili (*Spic. Hist.* 10[1962] 213) adunationem quamdam, forse im-  
proprie nuncupatam a *Relatione* capitulum generale. Hanc primam subsequuta est alia  
versus mensem augusti an. 1735, post reditum D. Silvestri Tosquez a Vindobona et Roma.  
Huic magis proprie competeret titulum capituli generalis, utpote quod afflante Ven. li  
P. Ludovico Fiorillo O.Pr. creatus dicitur superior renascentis domus Theanensis can. D.  
Ioannes de Masellis (de quo infra, nota 39), quin tamen nondum appareat ullus dignitate  
superioris generalis auctus. Ex tunc nihilominus, teste P. Caesare Sportelli, «la sua com-  
pagnia milita sotto la gloriosa bandiera del SS.mo Sacramento». Cfr *Epistolae Ven. Caes.*  
*Sportelli*, Roma 1937, 22-23.

(36) Coaetaneus Calabriae laudator edisserebat in hunc modum: «Dall'anno 1700 a  
questa parte, in men di cinquant'anni, ha la Calabria dati fuora tre Institutori di Congre-  
gazioni di Preti Missionarij: Giovanni Belmonte e Saverio Pugliese da Rende, della Con-  
gregazione del Ritiro, in fine del 1704 con autorità ordinaria da Andrea Brancaccio, arc-  
di Cosenza approvata: e Vincenzo Mannarini da Rossano, della Cong.ne del SS.mo Sa-  
cramento,, sparsa già in Terra di Lavoro, in Capitanata, in contado di Molise». C. NARDI,  
*De' titoli del Rè delle due Calabrie*, Napoli, 1747, 152.

(37) Breve «Universae militantis Ecclesiae», quo Gregorius XVI die 29 maii an. 1840  
tandem approbavit Congregationem, praetexit historiam(!): «Iam inde ab anno 1712,  
in oppido Rendarum Cusentinae dioeceseos, nonnulli presbyteri, Vincentio Mannarini duce  
et rectore, piam inter se societatem inire... coeperunt, eo sane consilio ut divinissimi  
Eucharistiae Sacramenti cultum in populis foverent, imperitam iuventutem litteris exco-  
lent...». *Regole della Cong.ne de' Chierici Secolari Missionari sotto il titolo del SS. Sa-  
cramento*, Napoli 1841, Textus Brevis ibidem inseritur.

(38) Cfr *Spic. Hist.*, 10 (1962) 193-198; 214-217.

eamdem caeteris postponit, cum ex allato P. is Sportelli testimonio constet iam an. 1735 Theanum rediisse D. Ioannem Masellis (« il quale è già in Tiano »): atque aliunde facile concipitur, exacerbata Tramontii oppositione cleri localis, voluntas sese redintegrandi in pristinam sedem Theanensem, quam novo decreto ratam publice habuit loci Ordinarius an. 1740 (infra p. 346). Ipsamet *Relatio* praeponit clausuram domus Tramontii apertioni quasi simultaneae collegiorum Luciti et Luceriae; ideo eiusdem vocabula « paulisper » et « paulo post » supra memorata sunt intelligenda sensu largiore, id est, usque ad annos 1737-1738, in quibus de facto cessavit schola Tramontii. Quod sane indirecte confirmatur ex praesentia D. Vincentii Mannarini in oppido Luciti, ubi an. 1737 comparet initiaturus opera caritatis (infra p. 350). Super initiis coaetaneis domus Luceriae nondum hausimus archivorum indagines.

Huic nostrae logicae factorum catenationi adversatur quodammodo *Relatio* adserens quod « adaucta sodalitate et propagata » celebravit Neapoli capitulum generale anno 1733, in quo designatus est magister generalis D. Vincentius Mannarini, auctus duobus consultoribus, atque delecti sunt tres alii pro singulis domibus (opinione nostra adhuc condendis!) rectores. Existimamus agi simpliciter de errore materiali et legendum esse annum 1735 vel 1738. In nostri iudicii confirmationem approximat ipse D. Vincentius Mannarini, qui die 25 ianuarii an. 1739 coram notario declaravit se dumtaxat ex consilio Ven. lis Ludovici Fiorillo O. Pr. suscepisse in Congregatione officium magistri generalis atque acceptasse regulas ab eodem eximio dominicano sibi traditas (39).

Nisi quod praefatae testificationi D. Vincentii Mannarini super regulis a P. e Fiorillo exceptis contradicere videtur *Relatio*, quae expresse tenet sodales capitulares, an. 1733 Neapoli congregatos, utpote heredes atque imitatores P. is Fragiorgi et Instituti loylei, recepisse constitutiones Societatis Iesu, utique « temporisationi paululum accommodatas ». Discrimen opinionum conciliant nonnulli ex eo quod alter (Fiorillo) Regulas, alter vero (Fragiorgi)

(39) « Io Padre Vincenzo Mannarini, Superiore attuale delle dette Congregazioni, testifico ancora che il sud° P. Ludovico è stato Direttore delle nostre Congregazioni di Teano e di Faicco [Faicchio], ed aver ricevute le Regole dal detto Padre, ed anche son stato assunto a detto officio di Superiore per volontà del Padre Lodovico, e così è noto: e ritrovandoci in Napoli oggi li 25 gennaio 1739 abbiamo scritto la presente [Adest fides notarii D. Caietani Francese]. G. D. GRAMAGNA, *Vita del P. Lodovico Fiorillo*, Napoli 1741, 229. In eodem volumine (p. 222-227) declarat can. D. Ioannes Dominicus de Masellis, olim inclinis ad adhaerendum S. Alfonso, mox sacramentinis temporarie adscriptus suadente P. Fiorillo. Vide infra, nota 60.

constitutiones subministraverit: nisi credere malueris insignem dominicanum, in consultationem adlectum, suasisse potissimum normas pro vita sodalium domestica, consuluisse autem vel confirmasse ignatianam studiorum rationem theanensibus magistris. Ceterum Congregationis statuta in manus nostras redibunt, cum tractabimus de negotiatione ann. 1746-1747 protracta coram Cappellano Maiore, ut denuo in unum codicem confluerent Regulae utriusque Congregationis, scilicet alfonsianae SS.mi Salvatoris, mannanianae SS.mi Sacramenti.

Interea et per transennam connotabimus duo: primum, quod *Relatione* duce primitivum Rendarum collegium seu eremitorium perrexit viam suam, avulsum a renata Congregatione Theanensi, cuius continua simulque modesta diffusio, pluribus quoque infensa, sublineatur in fine documenti, adductis nominatim domibus et clarioribus Instituti membris; secundo, quod pleno iure Ven.lis Maria Caelestis Crostarosa, Fodiam (Foggia) an. 1738 adiens ibidem conditura sedem Congregationis femineae SS.mi Salvatoris, in sua *Autobiographia* gavisa est de progressu utriusque viro- rum Congregationis, partim suscitatae ex suis Scalensibus revelationibus. Idcirco a suo adventu an. 1738 usque ad obitum an. 1755 Ven.lis Fundatrix, data occasione, multiplicavit amicitiae signa cum utriusque Instituti viris insignioribus: S. Alfonso, S. Gerardo Maiella, D. Vincentio Mannarini, D. Ioanne B. De Donato.

5. - *Relationis Theanensis auctor, momentum historicum ac textus infrascriptus.*

1. - Quibus expositis reliquum est ut cetera *Relationis* adiuncta summatim perpendamus. Quoad eiusdem auctorem distinguendum est, prout in eadem insinuat, inter notitiarum praecedentium consutorem et primigenium documentorem collectorem. Consutor sive compiler *Relationis* exstitit an. 1753 canonicus D. Ioannes B. De Quattro (40): is, disciplinis historicis colendis plus minusve deditus atque an. 1753 in lustrandis ecclesiis locisque piis convisitator Rev.mi D. Domici Giordano, episcopi Theanensis, perennavit conspicuo volumine manuscripto non solum aedificiorum sacrorum statum internum externumque, qualem in sancta visitatione oculis percepit, verum etiam ipsorum originem atque evolutionem historicam, acervatis hunc in finem documentis

(40) Praeter argumenta intrinseca nos inducit, ad illius agnoscendam litterariam paternitatem, sponsor localis Rev.dus can. D. Arminius de Monaco, quem honore debito citamus in nota sequenti.

originalibus vel transumptis, quae voluminis praecipui *Appendicem* documentariam separatim constituebant. *Appendix* ista, unico aut multiplici volumine congesta, misere periit cum locuplete archivo Curiae episcopalis, die 6 octobris an. 1943 inter flammam incursionis aëreae bellicae a liberatoribus (!) peractae.

In casu nostro compiler D. Ioannes B. De Quattro protestatur semel atque iterum in *Relatione* se affirmationes suas atque factorum narrationem mutuatum fuisse ex documentis in *Appendice* insertis: quamobrem, pro eventibus Congregationis SS.mi Sacramenti, huic Sodalitati eiusque coaevo superiori D. Ioanni B. De Donato mandanda videtur responsabilitas collectionis documentariae exhibitae canonico compileri. Utrum autem ipse D. Ioannes B. De Donato fuerit propria manu documentorum auctor, vel aliena usus, definire nequimus: inspirationem suam censemus indubiam, cum illius facta personalia, tum Rendis, tum Scallae Theanive revelantur; aliter fortasse iudicabimus, dum exhibetur ille animo dimissus, anceps ac timidus post P. is Fragiorgi obitum. Quod autem in *Relatione* prae laudatus D. Ioannes B. De Donato tenet quodammodo primas partes, secundas vero D. Vincentius Mannarini, idtribuendum manet respectivo (saltem usque ad tempus *Relationis*) activitatis campo, Theanensi pro De Donato, Lucerino pro Mannarini.

2. - Ex dictis fluit *Relationis* meritum seu momentum intra leges historiae. In substantialibus siquidem adsertis auctor praebet dignus fide et adhaesione: in secundariis vero haud ostenditur immunis ab erroribus, sive ob temporis distantiam, sive ob personales narrantis propensiones. Ad haec, haud raro desideratur strictior factis adhaesio chronologica, satis habens chronista nobis sub oculos ponere nomen vel numerum domorum, quin simul adfigat annum et adiuncta inaugurationis: unde supra vertimus vitio illius quod confunderet intervallum temporis actum inter initium et terminum foundationis Tramontii ac consequenter anticiparet inchoationem foundationum Luciti et Luceriae.

3. - Cardo materialis, ubi *Relatio* hodie custoditur haud indiget prolixo commentario. Textum completum desumimus ex originali volumine manuscripto, inter protocolla Curiae Theanensis recensito et ad interim conservato penes eiusdem canonicum D. Arminium de Monaco (41). Constat volumen 500 foliis (30x20

(41) Ex titulo iustitiae ac grati animi opus est hic memorare canonicum theanensem Rev. dum D. Arminium de Monaco: is namque vir eximius, cleri et urbis decus, pro sua erga scientiam ecclesiasticam devotione tenebat apud se pretiosum Codicem Sacrae Visi-



cms.), confectis charta ordinaria saec. XVIII. Ad huius dorsum legitur succincte: «*Visit. Ecc. Th. Ep. Dom. Jord.*» - In fronte autem primi folii declaratur amplius ratio manuscripti: «*Visitatio Ecclesiae Cathedralis aliorumque piorum locorum Civitatis Theanensis, peracta anno MDCCCLIII a Dominico Jordano ejusdem Episcopo, deinde ad archiepiscopatum Nicomediensem et ad munus secretarii Sacrae Cong.nis super Disciplina Regulari promotus*».

Verba «deinde» et sequentia videntur esse tardius titulo adiuncta, nisi malueris totam voluminis compositionem postferre anno 1755, in quo Rev.mus D. Dominicus Giordano creatus est archiepiscopus Nicomediensis «in partibus infidelium» et domicilium sibi Romae constituit. Quinquennii igitur sui Theanensis quasi monumentum post se reliquit in dioecesi hanc descriptionem sacrae visitationis, quam an. 1753 alacriter susceperat ac clausit felici exitu an. 1754. Ex huius Praesulis ulteriore commoratione romana perplacet memorare diem 20 iunii an. 1762, quo particeps ille atque assistens ad altare sistitur pro consecratione episcopali S. Alfonsi (42).

Denique ratio ob quam *Relatio* in praecitato volumine mansit adnexa visitationi ecclesiae S. Mariae «ab intus» stat in obvio facto, quod apud ipsam — post varias Theani peregrinationes domiciliares — exercebant Patres Sacramentini id temporis ministeria sacra, simul ac in attiguo conventu gerebant pro adolescentibus scholas populares.

## II

### TEXTUS RELATIONIS POST SACRAM VISITATIONEM EXARATUS.

fol. 275. Visitatio Ecclesiae S. Mariae de Intus, quae hodie Congregatio PP. SS.mi Sacramenti denominatur.

Die 24 Julij 1754 Theani. - Ill.mus et R.mus E.pus Visitor associatus, ut supra, accessit ad hanc ecclesiam S. Mariae de intus, ubi cum honore parique obsequio ab Adm. R. P. Johanne Bap.ta De Donato Rectore aliisque

tationis supra descriptum illumque ipse ab incendio archivi post bellicam an. 1943 aëream incursionem non modo illaesum fecit, sed etiam mox devotione auctâ pervolvit atque ex eodem traxit an. 1759 articulum, ephemeridi «*Benedictina*» Anno XIII, 1959) 33-45 **mandatum** sub titulo: *Il Monastero e la Chiesa di S. Maria «de Intus» in Teano*. Eiusdem conclusiones generatim, ut par est, amplectimur et sincera gratulatione extollimus, salva cuiusque vestigatoris licentia addendi, demendi aut noviter explicandi res eventusque, prout id suadeant recentioris indagacionis postulata.

(42) Cfr R. TELLERÍA, *San Alfonso M<sup>a</sup> de Ligorio*, II, Madrid 1951, 34-35.

Congregationis Patribus exceptus, visitavit eandem ecclesiam jam priori forma deletam ac de novo e fundamentis eleganti structura delineatam per DD. Nicolaum Canale Tagliacozzi et Josephum Sterita, excellentes architectos neapolitanos excitatam et modo ad fornices usque elevatam: laudavitque simul et hortatus est eosdem PP. omnem adhibere conatum ad eam quam citius perficiendam, ut inibi divina officia aliave eorum Instituti munera obire valeant, et sic magis hujus civitatis populum super concepta utilitate atque commoditate, quam affert hujusmodi nova Instituti congregatio confirmare.

[*Praemittit nunc Relatio sacri loci historiam usque ad eiusdem translationem in ditionem PP. SS. Sacramenti, scilicet:*]

Dominium dictarum aedium ... pretio ducatorum bis centum die 23 Julij 1743 instrumento notarij Josephi Borrello cessit [Soror Maria Agnes della Torre] Congregationi Presbyterorum Saecularium titulo SS.mi Sacramenti, quae jam dominium directum pretio ducatorum bis centum quinquaginta sibi a monasterio Campano comparaverat die 3 ejusdem mensis et anni per acta ipsius notarij [Antonii] Torallo: et eadem die et per eundem notarium, obtenta titulo donationis cum onere ceram bilibrem monasterio quotannis persolvendi, iidem Patres sedes nunc incolunt et ecclesiae cultui inserviunt.

fol. 278: De hac igitur Congregatione [SS. Sacramenti] nunc verbum facturi, illius repetenda res est ut eius origo, progressus, institutum et constitutiones exponantur: idque eo magis, quia recens est et quia eam tartareus hostis plurimum ad perniciem lubricis vicissitudinibus insectatus fuisse videtur.

Iam pridem ante annum 1700, in dioecesi Cusentina [Cosenza] quattuor presbyteri divini cultus promovendi studio caelesti charitate flagrantes, in unum convenerant sub directione Johannis Belmonte, atque ad munus apostolicum evangelizandi undique in ea vicinitate exsequendum ac lucrandis Deo animabus instabant. Quo in id unum alacrius incumberent, sese Religioni Societatis Jesu adscisci cogitarunt; at quamvis id certo ipsis promissum fuerit, voti tamen compotes ex occulta, ut conjicitur, Andreae Brancaccio Archiepiscopi Cusentini intercessione, ne tam utiles eiusmodi evangelicos suae dioecesis operarios amitteret, fieri non potuerunt.

Anno vero 1703 D. Ioannes De Donato, tum clericus, se adiunxit: auctore P. Nicolao Fragiorgi, Societatis Iesu presbytero, in unum se congregarunt in oppido Rende eiusdem Cusentinae dioecesis, primum in domo conducta, postmodum vero anno 1710 ex fundamentis ad huiusmodi institutum peragendum exstructa. Per longum temporis spatium, susceptum apostolicum munus iis in regionibus sedulo ac cum maximo animarum quaestu persolverunt; at memoratus P. Fragiorgi, qui semper eis ope et consilio praesto fuit, animadvertens quam uberem in vinea Domini fructum ex eo ministerio emanarat, palmitem quemdam in hanc regionem Campaniae Felicis transducendum censuit.

Primum Aversae, ut eis ecclesia S. Mariae Constantinopolis attribueretur procuravit; et cum eiusmodi conatus in irritum cecisset, Theani sedem posse figere feliciter obtinuit: atque huic novae plantationi P.D. Ioannem

De Donato, quem a Calabria evocavit, adiunctis sociis presbytero D. Alexandro Zarrillo theanensi et diacono D. Ioanne Berardino Pellegrino patritio campano, at hic nato atque degenti, praefectum constituit. Advenere igitur ad hanc urbem die 27 septembris an. 1724 et comiter quidem alacriterque excepti a Dominico Antonio Cyrillo, praedecessore Ep<sup>o</sup> Theanen., qui eodem anno ab ecclesia Carinolensi [Cerignola] ad hanc regendam translatus fuerat: ab eodem ecclesia aedesque divi Augustini, olim monasterium eremitarum S. Augustini anno 1652 suppressum, concessae fuere ad ministeria proprii Instituti in eo obeunda, ut ex decreto die 9 ianuarii 1725, fol. 700 in *Appendice* (43).

Haec fuerunt primordia huius Instituti in Theanensi civitate (44) a memorato P. Frangiorgi, quoadusque in vita fuit, sodales vel animo abiectos excitante, vel ad pia opera exercenda totis viribus inflammante. At is cum vitâ defecerit anno 1731, perinde ac si potissimum eorum propugnaculum defecisset, prope factum est ut exiguus iste militum Christi manipulus prorsus dissolveretur. Pater enim De Donato aspiciens se in ipso quasi vestibulo adeo firmo munimine et quum maxime opus fuerit destitutum, ex dimissi animi sui imbecillitate metu percussus, nequaquam posse susceptum opus ad optatum finem protrahere, illud pene deseruit.

Quamobrem quum perciperet presbyterum D. Alfonso de Liguoro assimilem conventum in civitate Scalarum instituire, se illis adiunxit, socios interea hic derelictos ac domibus propriis regressos spe enutrens blandisque epistolis diliniens quamprimum se regressurum eosque atque intermissum opus restitutum.

Propositi diversitas, quae in divino cultu promovendo inerat P. i Donato et P. i De Liguoro, paulo post eos seiunxit. Primus enim, utpote a P. Frangiorgi imbutus spiritu Religionis Societatis Iesu, quae omni ope atque opera ad christianae reipublicae utilitatem enititur, meditabatur statuere quod sodalitates huius institutum foret, in municipiis oppidisque parvisque locis eadem munera obire, quae Societas Iesu in magnis urbibus tanto emolu-

(43) Alludit ad *Appendicem* seu documentorum collectionem, de quibus diximus supra (p. 336).

(44) Haec exordia Congregationis quadam balbutie irretiebantur, quandoquidem eiusdem voces non exaudivit nec Romam transmisit Ordinarius loci Rvms. Dominicus Antonius, signans Theani die prima aprilis an. 1725 Relationem ad « limina », in qua dicit: « Translatus ipse e Carinolensi in hanc Theanensem dioecesim anno proxime elapso, mense aprilis regimen assumpsi... Sacerdotes civitatis sunt quinquaginta octo, diaconi decem, subdiaconi octo et clerici viginti novem... ac utriusque sexus fidelium animae ter mille biscentum quadraginta sex... Septem numerantur parociae, inclusa cathedrali. In seminario octo alumni, et ultra eos, complures instruuntur convictores ». Silet etiam de PP. Sacramentinis in sequentibus sex Relationibus « ad limina » usque ad annum 1752 exclusive: anno siquidem 1732, dum missionarios extradioecesanos laudat, reticet locales, absque dubio propter horum dispersionem in morte P. is Frangiorgi: de aliis autem dicit Relator: « Pluries advenerunt missionarii Congregationis P. Pavonii Societatis Iesu et missionarii domus Apostolicae Missionis: et proximo elapso anno, adhibitis extraordinariis per me diligentis, impetravi a Superiore Societatis Iesu, ut ad dioecesim causa missionis se conferret P. Ioannes B. Cacciottoli eiusdem Societatis, fama celebris atque virtute ». Arch. Vaticano, Concilio, Relationes dioec., Theanensis, ann. 1725-1752. Annorum praecedentium silentium compensavit loci Ordinarius an. 1752 PP. Sacramentinorum elogio, quod infra (p. 344, nota 56) exscribimus.

mento praestat, nempe: iuventutem litteris bonisque moribus instituere, piis exercitationibus fidelium mentes excolere, poenitentiae atque Eucharistiae sacramenta administrare, verbum Dei evangelizare ac proinde sodaliter in locis habitatis defingendam fore asserebat.

At contra P. De Liguoro, solitudinis et recessus amator, censebat omnino ab exercendis scholis litterisque habendis abstinendum: huiusmodi enim exercitijs spiritum dissipari credens; sed dumtaxat incumbendum propriae salutis aeternae, divinis officijs, pijs meditationibus et tantummodo evangelizandis pauperibus, atque adeo [*lege*: ideo] anachoretarum instar sodaliter in locis desertis eremisque constituendam (45).

Permittit quidem Deus in sua Ecclesia atque in ipsius servitio hanc sensuum consiliorumque varietatem, ut hoc pacto pro ingenio et corporis constitutione per diversos tramites ad bene agendum, multis sese disponentibus multiplicatae prolis foeta, Ecclesiam amplifcet. Quum igitur ad institutum praefigendum convenire minime potuissent, P. De Liguoro et P. De Donato sese invicem seiunxerunt. - P. is Donati tamen sententiam fuerunt complures ex sodalibus prosequuti, inter quos eminent P. D. Vincentius Mannarini, de urbe Rossano, clarus tum generis nobilitate ex dynastis Laboniae in Calabria, tum vero magnanima progeniturae abdicatione, ut se Deo liberius manciparet: quin etiam admirandis, quae eum exornant, virtutibus.

P. De Liguoro in civitate Scalarum permansit, P. vero De Donato cum socijs ad oppidum Tramonti paulisper secessit; at ex illius cleri zelotipia (putabat enim ex huius Instituti invectione sibi quaestus imminui) solum illud derelinquere paulo post adactus fuit. Ex huius ostio [*lege*: ostii] obstructione ingens aliud [*supple*: ostium] caelestem agricolam aperuisse ac patientiorem campum ad evangelii semen ibi disseminandum iis assignasse visum deinde fuit: paulo enim post (46) et pene uno eodemque tempore in oppido Luciti (47), dioecesis Guardiae Alferiae (48) itemque in urbe Luceria (49) ac nostram Theani, quae pene derelicta dici poterat, denuo aperire concessit.

Aducta igitur sodalitate et propagata, oportuit ministros instituere, regulas praescribere atque certum sibi titulum quo denominaretur praefinire. Quamobrem primis comitijs Neapoli habitis anno 1733, ibi Magistrum Generalem P. D. Vincentium Mannarini, consultores P. D. Iohannem Baptistam De Donato et P. D. Hieronymum Lanfredi (50) ex oppido Vairani huius dioe-

(45) Super initiali S. Alfonsi haesitantia circa scholas et super fundamentali utriusque Instituti discrepantia, stante fine specifico uniuscuiusque diverso, vide quae diximus supra (p. 329, et nota 26).

(46) Huius expressionis erroneam ideam reiecimur supra (p. 333 et 336).

(47) Quoad foundationem Luciti, sequere tertiam articuli partem (p. 347).

(48) Guardia Alfera seu dioecesis Guardiense Alferiae. Oppidum invenitur in regione sive comitatu (*contado*) Molisii (Molise), et tunc numerabat 300 incolis, quibus in Domino pascendis invigilarunt illis diebus Rev. mi Praesules D. Ioannes Andreas Moscarelli (1703-1724) et D. Petrus Abundius Battiloro (1724-1733). Cfr R. RITZLER et P. SEFRIN, *Hierarchia Catholica* V, Patavii 1952, 215.

(49) Quoad foundationem Luceriae, vide infra (p. 351).

(50) Cognomen huius P. is sacramentini vocarunt Manfredi biographi alfonsiani, duce P. e Tannoia, qui P. Hieronymum eiusque nepotes P. P. D. Angelum et D. Michaëlem adscripsit.

cesis, rectores autem ipsum P. Mannarini in hac urbe, P. De Donato in oppido Luciti et P. Lanfredi in Luceria, a secretis vero P. Franciscum De Nigris elegerunt. Quoad constitutiones vero usque tunc illi divi Ignatii de Lojola institerant, tum quia veluti ex Societate Iesu ortum ducebant, tum quia eiusdem sensibus et instinctu ad animarum salutem inflammabantur. Eisdem autem constitutionibus in posterum uti, memoratis comitiis consultum fuit: temporis tamen rationi paululum accommodatis, quarum exemplum exstat fol. 719 [*Ustum fuit*].

Titulum praeterea Congregationis SS. Sacramenti assumpsit, ex peculiari cultu, quo caeleste hoc mysterium venerandum ibi sodales praefixerunt: et praesertim quolibet die festo, in unaquaque Congregationis ecclesia, Sanctissimum Corpus Christi solemniter publicae adorationi exponentes. Ad hunc autem SS. Sacramenti cultum se addixerunt ex miraculo, quod in civitate Scalarum, dum ibi morabantur, evenit: exponentibus siquidem ipsis saepe idem Sacramentum in ecclesia monialium SS. Salvatoris eiusdem urbis Scalarum dignatus fuit caelestis Dominus se, sub Agni Immaculati vel Salvatoris aut alia sub specie, non uni aut paucis, sed fere omnibus visibilem intuentium proferre: idque adeo certum atque extra omnem dubitationis aleam fuit, ut a Iosepho Maria Sanctorio, tum Scalarum episcopo, fuerit ex auctoritate S. Sedis Apostolicae diligens capta inquisitio (51).

Theanum igitur P.D. Vincentius Mannarini Magister Generalis perventus, pietatis opera in eadem ecclesia divi Augustini auspicatus denuo fuit. Ac cum domus haec nimis videretur angusta et prolatari minime posset, alibi sedem transferre cogitarunt: et quidem primum animum adiecerunt ad divi Iohannis Baptistae ecclesiam, olim paroecialem, anno 1727 ecclesiae S. Mariae Caelestinae a Dominico Cyrillo, praedecessore antistite Theanensi, adnexam eamque iam ex concessione parochi et eiusdem antistitis approbatione die 15 iunii 1735 assequuti fuerunt (fol. 701). Sed temporis decursu, non modo hanc etiam iisdem difficultatibus eademque angustia laborare nec posse protendi prospexerunt, verum etiam ecclesiam collabentem esse neque posse sine multo dispendio nullisque pecuniis restaurari: demigrandum propterea inde necesse eis fuit et domum conductam aliquandiu incolere.

Animum denuo ad divum Augustinum appulerunt, quin immo a sodalibus S. Mariae del Soccorso sive S. Monicae, ad quam attinet ecclesia, et monasterij usum sibi concedi curarunt, instrumento per notarium Paridem de Dionisio inito die 7 augusti 1740 (52). At vero propter adiectas conditiones ac pactiones, quae PP. libertatem coërcabant et ex quibus temporis decursu dissidia litesque perennes erumpere poterant, susceptum consilium abii-cere censuerunt ac demum in hac ecclesia S. Mariae de Intus sedem figere constituerunt. Huiusmodi autem consilium eo vel magis amplectendum visum

---

inter missionarios sacramentinos, deposcentes an. 1749 cooptationem Instituto alfonsiano [A. TANNONIA], *Vita*, lib. II, c. 32, ed. 1798, 217.

(51) Cfr supra, p. 332.

(52) Protocollum hoc notarile inserimus in tertia articuli parte, p. 345.

eis fuit, quia iam anno 1737, die prima octobris, per notarium Ioannem Iacobum Caparco calvensen, pia ac religiosa D. Lucretia De Martino domum prope hanc ecclesiam (primitia eorum in hac urbe adeptio) dono ipsis dederat, iamque ab eo tempore animum subierat eandem adipisci eamque moniales Campanae in emphiteusim libenti animo ipsis concedere se obtulerat: quin immo assensum ibi eorum munera obeundi ab episcopo Cyrillo die 17 novembris 1738 obtinuerant.

Ecclesia igitur aedibusque assequitis, constituisse centrum orbitamque necessitudinum huius nascentis Congregationis videbatur. Enimvero ob pietatis opera, quibus perfungebatur, non modo benedictionibus atque praeconiis huius civitatis aliorumque longe lateque locorum, verum etiam pia multorum ac praesertim D. Francisci Tarcagnota de Montedracone et presbyteri D. Iosephi Cirelli beneficentia fuit cumulata. Alter enim aureos ter mille quattuor centum, cum onere licet missarum: alter vero quam plurima bona, licet etiam imposito onere, impertiti sunt, ut ex inventario f. 712 [*Ustum fuit*].

At draco tartareus ipsis pietatis muneribus ad animarum lucra naviter perfunctis invidus inhians, atrociter ad hanc nuperam plantationem penitus evellendam, non modo semel atque iterum, quin immo saepe ac saepius insectatus est. Serenissimum enim nostrum Regem, quem propitius Deus semper sospitet, illam quam plurimis iniquis criminationibus denigrare ausi sunt, adeuntes. Et quamvis huiusmodi tempestates, praeter impendia aerumnasque, minitarentur naviculae huius imminens naufragium, praestitit tamen peculiari suo praesidio Deus, ut salva consisteret et ex hisce flutibus, qui pene eam absorbere videbantur, immunis exurgeret.

Oppugnatio erupit primum anno 1745, sed Episcopus et civitas in illius defensionem praesto sese exhibentes, Regio diplomate a secretis ecclesiasticis die 29 maii eiusdem anni gloriose a iustissimo rege fuit propulsata (fol. 703). Redintegrati impetus anno 1750 falsis accusationibus, quod Congregatio haec, intra exiguum temporis spatium, multa latifundia immensasque opes, maximo reipublicae damno ac pernicie, accumulaverit; at alio diplomate die 27 maii eiusdem anni evanuerit (fol. 703).

Vis tamen maior incessit anno 1752, ex qua Patres perterriti atque exanimis se penitus pessum ire trepidabant. Verum Deus opilator, qui in abscondito tempestatis emittit vocem suam et cui omnia obediunt et si quandoque dormitare videtur, attamen tum maxime adfluctuantem naviculam suam custodiendam vigilat; quin immo, pro sua [*sic. album*], quae nobis perniciem minitari videntur, ex ipsa in nostram utilitatem convertere solet, praestitit ut tranquillitas et pax ex hac ipsa tempestate ad anxios Patres oriretur (53).

---

(53) Oppugnatio haec, angustiae inde pro Congregatione ingruentes, etsi interdum earum promotores impellebantur rationibus personalibus aut localibus, coincidunt cum parallelis S. Alfonsi eiusque Instituti angustiis: immo quandoque utramque Congregationem simul destruere conabantur respective hostes uniuscuiusque vel, e contra, utramque in idipsum denuo refundere communes amici. Huiusmodi certaminis phases alternae, notae historicis alfonsianis sunt quoad substantiam, sed super ipsis manent non pauca archivi instrumenta inedita.

Rex enim mense februario 1753 diploma (54) addit quo, nedum iniquae criminationes repulsae omnino fuere, sed firma fundamenta huius congregationis inconcussa stabilitate iecisse, et ad perpetuum eius regimen universim in hac civitate et ubique modum atque rationem constituisse videtur, ut in folio 705 et seq. Et quidem ad huius diplomatis praescriptum paulo post benigniter indulisit, ut novam domum in oppido Frosolone (55) in Samnio aperire licitum Patribus esset.

Haec igitur origo et status in praesentiarum domus Theani, quae ceteris semper habita est primaeva, nempe Luceriae, Luciti et recentioris in Frosolone, subducta illa quae ab aliis separata voluit persistere in oppido Rendae in Calabria.

Quoniam vero ecclesia immani sumptu a fundamentis elegantiori forma absoluta hactenus non sit, ut in ea Patres munera proprii instituti possint obire, in aliis ecclesiis huius civitatis assidue piacularibus confessionibus, sacris concionibus caeterisque pietatis officiis ad salutem animarum operam navare, iuventutem latinas litteras, rhetoricam atque philosophiam gratis pieque erudiunt: domo excipiunt initiandos caeterosque quos arbitrato episcopi piis meditationibus imbuendos: accersiti ab Ordinariis locorum ad pauperes evangelizandos advolant, atque adeo ad evangelicam vineam uberi animarum emolumento excolendam, studiose nimis seduloque incumbunt.

Patres vero modo existentes in hac Congregatione sunt sequentes:

Adm. Rev. D. Iohannes Baptista de Donato, oppidi Rendae dioecesis Cusentinae, Director.

Rev. D. Vitus Felix Quercia, dioecesis Barensis, Vicedirector.

Rev. D. Bartholomeus Bevilacqua, terrae Roccae Monfinae huius dioecesis.

Rev. D. Dominicus Angelus Mastrogiovanni, ex diocesi Boiani.

Rev. D. Ioseph Maria Sito, civitatis Neapolis.

Cler. Xaverius Lombardi, civitatis S. Marci in Lamis, nullius dioecesis.

Novit. Paschalis Rispoli, civitatis S. Severi.

Convictores:

Rev. D. Alexander Zarrillo, mansionarius nostrae cathedralis.

D. Nicolaus Velluto, ex dynastis oppidi Gallutii, huius dioecesis.

D. Felix Gramigna, Murensis dioecesis.

DD. Nicolaus et Epiphanius Tarcagnotta, dioecesis Carinolensis.

D. Caietanus Monticelli, neapolitanus.

---

(54) Diploma regium, quo tandem mense februario an. 1753 concessa est Congregationi SS. Sacramenti stabilitas quaedam iuridica ac legalis quadrat ad amussim cum regio edicto quod anno praecedente, nempe die 9 mensis decembris agnovit ac palam in tuto collocavit coram lege civili existentiam missionariorum S. Alfonsi, utique tanquam sacerdotum secularium in communi viventium atque ipsis detracta qualibet domus religiosae canonice talis consideratione.

(55) De domo Frosolone erecta, infra dantur summariae notitiae, p. 352.

Fratres servientes :

Candidus Arienzale civitatis Supini.

Joseph Ferrarazza oppidi Frossolanis.

Michaël Schiavone neapolitanus, et

Johannes d'Aletta theanensis.

Deinde Ill.mus D.nus Visitator associatus, ut supra, ascendit aedes superiores ubi sunt cellae, quas incolunt supradicti Patres, in fine quorum prope ecclesiam adest oratorium privatum. [*Pergit visitatio localis atque examen Libri missarum*].

[*Propria manu* :] Dom[inicus] Ep. Theanensis (56)  
Not. Joseph Cecere S[acrae] V[isitationis] Sec.rius.

### III

#### CONSECTARIA SEU COROLLARIA RELATIONI ADNECTENDA

intuitu gemellationis mox tentandae pro utroque Instituto.

Ex hucusque dictis elucet sufficienter tum origo duplicis coevae Congregationis SS. Salvatoris ac SS. Sacramenti, tum utriusque separatio primaeva. Attamen ab eadem Relatione permanant consecraria immediata, in quibus remorari noluimus, ne mole adiunctorum obscuraretur linea primaria nostri articuli. Haec sane corollaria digna sunt quae in lucem proferantur ob historiae continuationem, intuitu nempe tentandae gemellationis (fas sit vocabulo), qua post tria circiter lustra a prima separatione voluerunt utramque Congregationem unico corpore et sub ductu S. Alfonsi reconformare viri duo potentes, regius nempe minister marchio D. Caietanus Brancone et regius cappellanus maior D. Caestinus Galiani. Tentamen abiit in cassum, at ex eodem ortum

---

(56) Anno praecedenti, die 3 aprilis, Episcopus Theanensis antehac mutus super PP. Sacramentinis in suis triennialibus communicationibus « ad limina », subscripsit Relationem in qua ad S. Congregationem de Concilio referebat has laudes: « At non solum sacris ordinibus initiandi laudabili more hfc inductum est, ut prius octo vel decem dierum spatio spiritualibus vacent exercitijs, ad quod munus peragendum utor Patrum (*sic*) Cong.nis SS.mi Sacramenti, in quorum aedes iidem ordinandi non mediocri progressu se recipiunt.. Praeterrmittendum autem non est, exstare Theani saecularium sacerdotum domus sub titulo Congregationis SS.mi Sacramenti, quorum munus et exercitatio est pueros grammaticae praeceptiones edocere, fidelium confessiones excipere, spiritualibus exercitijs ecclesiasticos excolere, verbi Dei praeconium et praecipue in sacris missionibus exercere et pleraque multa pietatis officia christianae perfectioni admodum conducibilia. Domus haec anno 1726 (*sic*) fundata fuit atque una est ex quattuor, quas in hoc regno Congregatio haec habet. At huiusmodi Institutum usque modo ab Apostolica Sede adprobatum minime est, neque illius alumni solemne aliquod votum emittunt, atque omnino loci Ordinario subjiciuntur ». - Arch. Vaticano, Concilio, Relationes diöcesium, Theanen. 1752.



habuit an. 1752-1753 pro utroque Instituto quoddam regium diploma sive «prammatica», cuius virtute constitutus est legalis «vivendi modus», quo essentialia sodalium activitates in tuto collocabantur. Inde nascitur propositum nostrum exhibendi compendiatas lineas parallelas propagationis utriusque Instituti, speciatim Congregationis SS. Sacramenti, utpote minus lectoribus cognitae: cuius domos, Frosolone excepta, etsi cum amore salutavimus (quater vel quinquies ad Theanum accessimus), nondum exhaustive cum singularum historia possidemus. Interim, dum loci cultores historiae cohortari ad laborem gaudemus, ecce corollarium intentio ac summa.

I. - Propagatio Congregationis SS. Sacramenti intra civitates secundarias et oppida praecipua.

1. - *Domus Theanensis, mater alma Congregationis resurgentis.*

Paginis supra scriptis volumus addere duo corollaria: primum respicit actum notarilem quo nota redditur licentia Rev.mi Praesulis Domini Ant. Cyrilli, anno 1740 subscripta, per quam confirmatur collegium aperiendum ex licentia concessa an. 1725; secundum comprehendit praecipua hodiernae ecclesiae elementa, quatenus adhuc nobis referunt spiritualitatem PP. Sacramentorum.

a. - Actus notarilis pro Congregatione Theanensi SS.mi Sacramenti

Arch. di Stato, Caserta. Prot. Not., pacco 1.106, Paride de Diomede, an. 1740, f. 393v.

Die septima mensis augusti millesimo septingentesimo quadragesimo Theani... Nella nostra presenza il Sig. D. Andrea Conti, Procuratore e cassiere della Ven. Cappella di S. Maria del Soccorso, congregazione di laici eretta dentro la chiesa di S. Agostino... Et il M.to Rev.do P. D. Vincenzo Mandarini [*sic*], Superiore della Ven.le Congregazione sotto il titolo del SS.mo Sacramento, della città di Rossano, della provincia di Calabria Citra ... i quali asseriscono come ritrovandosi d<sup>a</sup> Cappella di S. Maria del Soccorso possedere la sud<sup>a</sup> chiesa di S. Agostino colle campane, organo ed il monistero soppresso ivi contiguo, che primo loco era de' PP. Agostiniani, per titolo di compra fatto dal Rev.do Seminario di questa città a 23 giugno 1697...

E come che il d<sup>o</sup> Rev.do P. D. Vincenzo da molti anni che ave havuto l'intenzione di stabilire in questa città un luogo proportionato per la sud<sup>a</sup> Congregazione del SS.mo Sacramento, conforme in altri luoghi si ritrovano eretti: con tal fine si sono trattenuti in questa città da più anni in case particolari...: finalmente trovarono avere la sud<sup>a</sup> casa seu convento di S. Agostino, luogo proportionato per il comodo di d<sup>a</sup> chiesa ivi contigua...

Da d<sup>o</sup> Rev.do P. D. Vincenzo e dal Rev.do P. D. Gio. Batt<sup>a</sup> Donati [*sic*]

e suoi compagni di d<sup>a</sup> Congregazione ... diedero supplica a Monsig.r Ill.mo Vesc<sup>o</sup> di questa città... [*Transcribit hanc supplicationem, nempe:*]

Ill.mo e Rev.mo Signore. Li sacerdoti D. Vincenzo Mannarini, Superiore della Congregazione del SS.mo Sacramento, D. Giovanni Batt<sup>a</sup> Donati e compagni ... espongono come ritrovandosi, mediante il zelo di V[ostra] S[ignoria] Ill.ma fondata ed eretta sin dall'anno 1725 nella città di Teano a suppliche di D. Gio. B<sup>a</sup> Donati e suoi compagni di quel tempo una congregazione di sacerdoti conviventi, propriamente nella casa e chiesa di S. Agostino..., e se bene in quel tempo vi fù l'assenso e beneplacito di V.S. Ill.ma colle solite solennità, pure per essere stati li supplicanti per permanenza in questo spazio di tempo in altro luogo (57) ricorrono alla bontà di V.S. Ill.ma e la supplicano degnarsi nuovamente il suo beneplacito.... Ut Deus. [*Exscribitur licentia originalis huius tenoris:*]

Viso supplici libello Oratorumque precibus inhaerendo... concedimus quod Congregatio Presbyterorum sub titulo SS.mi Sacramenti in communi viventium et usque ab anno 1725 erecta et fundata in domo et ecclesia S. Augustini, cum facultate pueros et juvenes in litteris instituendi, doctrinam christianam populo explicandi, verbum Dei praedicandi, congregationes sacerdotum et secularium faciendi, retinendi et custodiendi in d<sup>a</sup> ecclesia SS.mum Eucharistiae Sacramentum et illud saltem in hebdomada et in octava SS.mi Corporis Xpti. publicae venerationi exponendi aliaque opera exercendi in praedictis domo et ecclesia S. Augustini caeterisque nostrae dioecesis locis, quae ad eorum ministeria pie recteque obeunda apta eorum Superiori pro tempore existentia et necessaria videbuntur. Volumus tamen quod suprad<sup>a</sup> Congregatio eiusque Presbyteri remaneant semper subjecti nostrae ordinariae jurisdictioni. Datum Neapoli ex aedibus nostris die decima nona mensis anno D.ni 1740.

Dominicus Antonius, Epus. Theanensis.

In esecuzione della quale preinserta licenza esso Rev.mo D. Vincenzo e suoi compagni cercarono effettuare questa loro buona intenzione colli Procuratori e fratelli di d<sup>a</sup> Congregazione di S. Maria del Soccorso... [*Pergunt formulae et notitiae, quae ad scopum nostri articuli minus conferunt*].

Aliunde vero constat quomodo Rev.mus D. Dominicus Antonius Cirillo, etiam apud regios Neapolis consiliarios aetimabatur tanquam Congregationis fautor et praesidium, teste hac brevi declaratione Regiae Camerae post aliquos annos exhumata: « Nell'anno 1725 Mgr. D. Domenico Antonio Cirillo, Vesc<sup>o</sup> di Teano indusse alcuni Preti missionari a convivere in forma di Congregazione in casa da essi medesimi a proprie spese comprata... Nell'anno 1742 ottenne l'approvazione « ad mentem » della S. Congregazione del Concilio in Roma... Nell'anno 1745 fu approvata ancora da S[ua] M[ajestà] ».

Arch. di Stato, Napoli. Bozze di Camera Reale, Consulte, v. 125 (an. 1748), Int. 17-

(57) Alludit ad commorationem Scalae et Tramontii supra indicatam.

b. - Hodiernae quaedam PP. Sacramentorum memoriae apud ecclesiam S. Mariae « ab intus ».

Ecclesia S. Mariae, « ab intus » nuncupata ut discerneretur ab alia homonyma « de foris » seu « extra moenia », stat hodieque in regione centrali civitatis atque prae se fert Congregationis mannanianae sigillum ex ipso templi frontispitio, ubi sculptum cernitur sacrum eucharisticum Ostensorium alatis angelis circumdatum. Intra ecclesiam depascuntur oculi contemplatione devotissimi lintei, quo supra altare maius effingitur ultima Coena Christi Iesu cum apostolis suis. Circa caetera unice navis altaria nihil speciale occurrit notandum. Festum hodiernis diebus solemnissimum fit in honorem S. Annae.

In sacristia vero nobis obversantur duae effigies iconicae (*ritratti*): altera refert sacerdotem aspectu venerabilem, rochetto atque stola ornatum, stantem prope mensulam, in qua liber apertus iuxta parvum crucifixum praebet nobis textum paulinum: « Charitas Christi urget nos ». Charta recentior priscae effigiei adfixa docet: « P. Vincenzo Mannarini, Fondatore dei PP. Sacramentini, morto in concetto di santità verso il 1780 ». Altera autem iconica imago, edaci tempore sat rosa, repraesentat superiorem partem (*busto*) S. Alfonsi episcopi, manu destra gestantis rosarium, capite curvo versus humerum dextrum. Nescimus quando et a quo haec effigies, ceteroquin arte communis, fuerit recepta a missionariis SS.mi Sacramenti, quorum indefectibilem benevolentiam erga S. Alfonsum laudat coevus P. Tannoia, in exemplum adducens « Monsig. Zunica, arcivescovo di Acerenza, alunno di questa Congregazione » (58). Hunc porro D. Franciscum Zúñiga, an. 1714 natum Luceriae, in utroque iure doctorem Neapoli, mox Luceriae canonicum, invenimus tandem adscriptum inter PP. Sacramentinos ac cum ipsis missionarium indefessum, donec ann. 1776 evector est ad gubernandam ecclesiam Acheruntinam et Matheratensem (Acerenza e Matera) (59), in eadem successor alius amici S. Alfonsi, scilicet Rev.mi Iosephi Sparano.

2. - *Domus S. Liberatae, a PP.SS.mi Sacramenti condita in oppido, cui nomen Lucito.*

Domus haec, biographis hucusque prorsus incognita, retinet pondus suum in *Relatione* praecinserta. Aedificium, quod nuper vi-

(58) [A. TANNOIA], *Vita*, lib. II, c. 4, ed. 1798, 92.

(59) Arch. Vaticano, Proc. Consist., an. 1776, v. 170, f. II: Ecclesiae Acheruntin. et Matheraten.

sitavimus, adiacet clivo centrali atque contiguum manebat olim ecclesiae S. Liberatae, impraesentiarum demolitae. Oppidum Lucito illo tempore accensebatur inter loca conspicua flumini Biferno sat proxima ideoque fulcra valida oeconomiae totius regionis, dictae « contado del Molise » : unde per Campobasso proventus industriae localis, speciatim gregis ovini, refluebant versus planitiem Fodiam et Lucerinam. Exinde facile quoque explicatur transitus PP. Sacramentinarum ex primo in aliud centrum necnon iure rependitur clara educatorum fama, qua illi fructi sunt per universum regionis circuitum. Tunc temporis numerabat oppidum 2.600 incolas ac regebatur ditione feudali a D. Francisco Capecelatro, cuius familiae membra recensemus infra, quia ille cum suis fratribus D. Iosepho et D. Carolo ab adolescentia profertur amicus S. Alfonsi, quin etiam eiusdem socius in exercitiis spiritualibus apud PP. Lazaristas neapolitanos.

Ad pleniorum ergo huius foundationis aestimationem subligamus notitias quasdam ex libris atque ex archivis decerptas :

a. - Praemittimus opus monographicum. Gennaro PIEDIMONTE, *Notizie civili e religiose di Lucito*, Campobasso 1898. Eius meritum est commune pluribus publicationibus localibus eiusdem furfuris, in quibus misceri solent adserta documentis munita cum traditionibus saepe parum fundatis. En quaedam excerpta :

p. 152-154 : S. Liberata, ovvero SS. Sacramento... Nell'anno 1716 il P. D. Giovanni de Masellis de Faicchio, comune del circondario di Cerreto, essendo già predicatore, s'impegnò di fare in Lucito un ritiro di preti : a quale effetto l'università di Lucito gli cedette la cappella di S. Liberata, cedutale dal Sig. Annibale Capecelatro... Dopo molti anni tornato di nuovo d° D. Giovanni de Masellis si principiarono le abitazioni con fervore dei cittadini, i quali istigati da D. Vincenzo Mannarini di Rossano in Terra di Lavoro [*sic*], la casa si perfezionò sotto il titolo del SS.mo Sacramento e da essa ne sono uscite quella de Frossolone e di Lucera... Nel 1736 (così dalle memorie di D. Rocco M. Olivieri), previo pienissimo parlamento di 212 cittadini, per opera di d° Superior de Masellis, che era amicissimo di Monsignor Liguori (60) oggi santificato, venne dall'università per detta Congregazione la summa di doc. 50... Non si sa poi come il Masellis si separò e tornò alla sua patria, ove morì arciprete...

p. 13 : Dal 1715 [*sic*] al 1860 fiorì la scuola de' PP. Missionari Mannarini

(60) Vir iste singularis, SS. Eucharistiae zelans amator et apostolus, visitavit an. 1734 S. Alfonsum in Villa « degli Schiavi » eique non solum exposuit sua evangelizandi proposita, verum etiam locum foundationis in oppido Faicchio : attamen quia, Rev.mo Falcoia teste, erat ille sat durae cervicis nec facile obsecundabat aliorum placitis non potuit aptari sodalitis alfonsiano nec postmodum, probabiliter ob similes rationes, sodalitati Sacramentinarum. Cfr T. FALCOIA, *Lettere*, ed. Gregorio, Roma 1963, 214-217, 222, 230-231.

chiamata piccolo Portoreale della nostra provincia, in cui fecero i primi studi uomini, che furono poi insigni nelle lettere e nelle scienze.

p. 71: Anni 1860-1861. Rivoluzione... I Sacramentini spesse volte vengono molestati. - 1864-1866. Soppressioni delle corporazioni religiose: scacciata dei monaci.

b. - Quoniam praecitatus auctor mentionem fecit de Annibale Capecelatro, placet etiam recolere hanc familiam Luciti feudalem, cuius titularis D. Franciscus Capecelatro is erat, cui a iuniorae aetate tribuitur amicitia cum S. Alfonso (61). Ecce brevis adnotatio Regesti officialis (*Catasto*) circa eiusdem familiam an. 1741-1745:

Palazzo Marchesonale in cui abitano:

D. Francesco Capecelatro, figlio del qm. D. Ettore e D. Rosa López Royo, Signore e Padrone di detta Terra . . . . .	anni 35
D. Fortunata Sanfelice, donna napoletana, sua moglie . . . . .	» 35
D. Ros'Anna loro figlia . . . . .	» 8
D. Nicola M <sup>a</sup> , loro figlio . . . . .	» 4
D. Emmanuele, loro figlio . . . . .	» 2

Arch. di Stato, Napoli. Catasto, Lucito, v. 1671. f. 520.

c. - Locupletiores prostant in archivis notitiae de Congregatione SS. Sacramenti Luciti agente.

(1) Obvia fit Congregatio in praedicto Regesto [*Catasto*]:

f. 659: La Ven.le Congregazione de' RR. Sacerdoti Missionarj sotto il titolo del SS.mo Sacramento di questa Terra possiede li seguenti alberi [*sic*] d'olivo. [*Fit eorum elenchus*].

f. 664: La Ven.le Congregazione del SS.mo Sacramento possiede nella vigna... alberi d'olive n° tre, stimati di rendita...

(61) Coaevus biographus P. Tannoia nobis mandavit hanc S. Alfonsi declarationem: « Soleva dire che se giovanotto non si vide schiavo del mondo e fatto preda delle passioni, ne conservava tutta l'obligazione prim'a Dio, e poi al cavalier Capecelatro ». [A. TANNOIA], *Vita*, lib. I, c. 5, Napoli 1798, 18. - Recentior biographus idemque ortus ex familia Capecelatro designat proprio nomine S. Alfonsi amicum: « Tra gli amici di Alfonso era Giuseppe Capecelatro, de' duchi di Casabona...: amorevolmente gli propose se gli volesse tener compagnia facendo con lui l'esercizi spirituali presso i Signori della Missione in Santa Maria delle Vergini ». CARD. A. CAPECELATRO, *Vita*, I, Roma 1893, 59. - Absque dubio doctus S.R.E. cardinalis novit directe aut indirecte archivum PP. Lazaristarum, ubi servatur codex cui titulus: *Esercitantium Vari* (1708-1723), in quo saltem pro anno 1723 inter adstantes exercitiis enumeratur S. Alfonsus cum tribus fratribus Capecelatro: Iosepho, Carolo et Franciscò. Anno praecedenti, die nempe 26 martii an. 1722, inter equites exercitiis adstantes citantur: « Il Sig. D. Giuseppe de Liguoro, il Sig. D. Alfonso de Liguoro suo figlio »; abest tamen D. Franciscus Capecelatro (eiusque fratres), qui vicissim interfuit a die 13 usque ad 19 maii eiusdem anni. Si autem fidem praebemus historico Lucitensi, natalia D. Francisci adsignare opus esset diei 7 maii an. 1710. Cfr G. PIEDIMONTE, *Notizie di Lucito*, Campobasso 1899, 30.

(2) Occurrit etiam nobis in archivio notarili civitatis Campobasso Rev.dus D. Vincentius Mannarini, dum in domo Luciti exarat sequens instrumentum : « A dì tredici di novembre... mille settecento trenta sette nella Terra di Lucito, Provincia di contado di Molise... Si sono costituiti personalmente in presenza nostra il M.to Rev.do Sig. D. Vincenzo Mannarini della città di Napoli, al presente in questa Terra di Lucito... E 'l clerico Modestino Siniscalchi della città di Avellino... Lo sud<sup>o</sup> M.to R.do Sig. D. Vincenzo Mannarini ave asserito... in ogni anno esigere come padrone dal R.do D. Baldassarre Gilibera di d<sup>a</sup> città di Napoli annui doc. tredici, alla ragione di sei e mezzo per cento per lo restante capitale di doc. duecento, ipotecato sopra un palazzo, dove presentemente abita il cons<sup>o</sup> Sig. D. Francesco Crivelli... E fatta l'assertiva il med<sup>o</sup> M.to R.do Sig. D. Vincenzo Mannarini, per il grande amore che dice portare inverso del sud<sup>o</sup> cl<sup>o</sup> Modestino Siniscalchi... ha disposto voler donare in titolo di patrimonio li sud. docati tredici »... [*Per-gunt formulae pro generosa donatione*].

Arch. di Stato, Campobasso. Prot., Nicola Ventresca, an. 1737, f. 7.

(3) In eodem archivio Campobassi et apud eundem notarium D. Nicolaum Ventresca comperimus duas allusiones ad PP.SS. Sacramenti Lucitenses :

Anno 1741, f. II. - Die 19 septembris ponderatur quoddam « pezzo di territorio di tomola sei, una massaria di fabrica e con forno... fu ceduto da detti eredi [notarii Gregorii Ventresca] alla Congregazione del SS.mo Sacramento de' Padri Missionarj senza beneplacido d'esso R.do Clero [loci], e da detti Padri ultimamente rinunzata ad esso R.do Clero ».

Anno 1747, f. 7. - Testamentum D. Viti Fratejanni, qui die 2 iulii « lascia docati diece da contanti alli Padri della Congregazione del SS.mo Sacramento di Lucito per cento messe ad un carlino ».

(4) Maioris momenti pro historia nostra censemus esse aliud instrumentum notarile Luciti exaratum, quo inducitur Rev.dus D. Vincentius Mannarini tractans negotium dotale cuiusdam monialis monasterii SS.mi Salvatoris Fodiae (Foggia) conditi a Ven.li Maria Caelesti Crostarosa, olim Fundatrice Sororum Scalensium SS.mi Salvatoris sive Redemptoris. Enimvero eiusmodi tractatio, Luciti signata, palam exprimit amicitiae continuationem inter utrumque Institutum, sive Fodiae, sive Luciti et Luceriae. Instrumentum prostat apud eundem notarium D. Nicolaum Ventresca, anno 1748, f. 9. Sed quia est magis prolixum et ditatur folio adnexo cum subscriptione autographa praedictae Ven. Mariae Crostarosa, illius publicationem remittimus ad futurum articulum circa asceterium crostarosanum Fodianum.

(5) Demum transcribimus elogium recens Rvdo. D. Vincentio Mannarini dicatum in lapide marmoreo instaurati collegii Lucitensis ab hodiernis loci sanctimonialibus, cuius Institutum dicitur « Suore degli angeli » et habuit Fundatricem Rev.dam Mariam Seraphinam « del Sacro Cuore », paucis abhinc annis pie demortuam. In parte igitur aedificii parvulorum scholis et custodiae (*giardino-asilo*) riservata (alia adhibetur hospitandis « carabinieri ») legimus

prope sacellum internum : « Per miracolo di Fede / Fra angustie incessanti / Tormentose vigilie e duri sacrifici / Questo antico tempio dei Mannarini / già cadente rudero per incuria di uomini / Risorge / nel ridente Ospizio / della prima infanzia / per l'opera coraggiosa del R.do arciprete D. Demetrio de Rubertis... Il popolo di Lucito / a perenne ricordo / XVI agosto MCMXXIII».

3. - *Domus atque ecclesia SS. Sacramenti in civitate Luceriae (Lucera).*

Influxum politicum atque administrativum huius civitatis, quae illa aetate recensebat 10.000 incolas, extollunt iure meritoque cuncti historici. Simul cum arce militari castris Troiae, tenebat Luceria sub ditione iustitiae universam Apuliae regionem, cuius radii commerciales convergebant in emporium urbis Fodiae (Foggia). Ex *Relatione* Theanensi didicimus quo tempestivo diluculo albesceret Luceriae domus SS. Sacramenti, posthac fornax ignis eucharistici circumquaque intra et extra urbem. Hac de causa, quo penitius intelligeremus eiusdem ortum et progressus necnon apostolicos atque scholasticos labores ibidem exantlatos a PP. Mannarini et Donato, accessimus pluries ad Luceriae archivum Status, praesertim in eiusdem sectione notarili. Sed heu!, circumstantiae erant adversae. Demortuo etenim recenter archivi direttore, penuria temporanea officialium coegerat ad practicam archivi clausuram, quandoquidem dumtaxat semel aut bis in hebdomada director archivi Fodiani (Foggia) adire poterat Luceriam (25 Klm.) ibique duas tresve horas matutinas explere munus suum transitorium.

Dum ergo paulo meliora canere exspectamus post archivi inspectionem, imaginem quamdam huius foundationis replasmanus ingrediendo parvam ecclesiam ordinarie clausam et proh dolor! demolitioni valde probabiliter destinatum, postquam collegium adnexum, tot et adeo eximiis PP. Sacramentinis celebratum, subiit omnigenas pro habitationibus privatis transformationes. Ecclesia porro, constans navi unica pro 400-500 adstantibus, etsi spoliata artis et devotionis cimeliis magis pretiosis, spirat quid recollectionis et pristinae pietatis. Ecce quaedam indicia. Pernotum est quanto ardore ab an. 1765 et deinceps coronatum fuit liturgice proelium pro festo SS. Cordis Iesu. Nunc autem, ad cornu epistolae templi huius Lucerini legimus prope altare S. Cordis hanc inscriptionem coevam : « Sac.mi Cordis praecipui cultores charitate nimia erexerunt die II iun. a. 1769 ». Similiter in latere evangelii prostat ampla memoria incisa marmore, ubi Pius VI « Romae IV sept. 1778 huic ecclesiae sub titulo SS. Sacramenti Presbyterorum saecularium Congregationis Missionis civitatis Lucerinae » perennan-

dam voluit suam erga PP. Sacramentinos benevolentiam, manifestatam plurimis indulgentiis concessis loco piissimo, cuius frequentatores convertebant animas ac corda ad Iesum velis eucharisticis latitantem.

Ecce huius flammae dulcissimae cineres sparsos super parieti laterali et incuriâ temporum complectentes silenter et Christi Cor et eiusdem D. Vincentii Mannarini elogium :

« Altare hoc majus : quo erga SS. Iesu Christi / Cor caritas magis augeat aere proprio / praesertim eius cultores flagranti nimis / studio die IX iunii in solemnitate Pentecoste / 1769 / ».

Subtus legitur : « R.mi P.D. Vingtii [sic] Mannarini Cong. SS. Sacr.i / Fund[ator] virtutum o[m]nium An[imi] praesertim demissionis / sui nimii contemptus ac paupertatis laude / Nemini s[ecun]di ossa iacent. Obiit XII mar[tii] an[nos] nat[us] 76, post Ch[ristum] 1775 ».

4. - *Domus atque ecclesia SS. Sacramenti seu S. Angeli in oppido Frosolone.*

In *Relatione*, huius nostri commentarii cardine, postquam asseruit compilator PP. Sacramentinos dissociatos vixisse a collegio Rendarum (Rende), posthac sui pleni iuris in autonomia localis, subdit nomen recentioris foundationis, nempe Frosolone. Agebatur de oppido 4.000 circiter incolas recensente, nec aliunde nimis distante a Lucito, utpote quod uterque locus pertinebat ad provinciam civilem, quae dicebatur « Contado di Molise ». Hucusque nequivimus ad collegium accedere atque de visu mirari hodiernum Gymnasium illius vices gerens : quapropter breves notitias super eodem excerptimus ab opere eximio, pluribus voluminibus conflato, cui titulus et auctor : Giambattista MASCIOTTA, *Il Molise dalle origini ai giorni nostri*, vol. III, Cava dei Tirreni 1952 :

p. 267 : Frosolone. [La chiesa di] S. Angelo è situata a settentrione dell'abitato... Fu ampliata nel 1840, restando di una sola nave e sostituendo l'antico oratorio che faceva un sol corpo col convento nel quale dal 1743 al 1805 dimorarono i PP. del Sacramento...

p. 281 : Giuseppe Antonio Fazioli nacque in Frosolone sullo scorcio del sec. XVII o nei primordi del successivo ed entrò nello stato sacerdotale secolare... Lasciò con testamento del 5 novembre 1751 gran parte delle proprie sostanze a prò della cultura popolare, chiamando al pubblico insegnamento a Frosolone fin dal 1743 i PP. Mannarini o del SS. Sacramento... Il locale R. Ginnasio ha tratto [hisce nostris temporibus] origine dal suo cospicuo lascito.



II. - Propagatio parallela Congregationis SS.mi Salvatoris extra oppida.

Quoniam in *Relatione* Theanensi opponuntur ad invicem fines utriusque Fundatoris, scholae nempe pro D. Vincentio Mannarini, missiones autem pro S. Alfonso, cum necessariis quoque oppositis vitae corollariis ex respectivo fine manantibus, iuvat breviter recollere fundationes a S. Alfonso hoc primo quindicennio inchoatas aut firmiter stabilitas. Siquidem dum PP. Sacramentini maluerunt domos fundare in centrīs ad scholas ditioribus (3.000, 5.000, 10.000 incolarum), alumni SS. Salvatoris seu Redemptoristae e converso praedilexerunt pagos sive casalia ruralia aut montana B.M.V. eremitoria aut demum, si quando propius ad civitates accesserunt, procul ab habitationibus (« fuori de' paesi ») curarunt metari castra sua missionaria. Inspiciamus ergo brevi cursu singulas eorum domos.

1. - *Scala* (an. 1732). - Compellabatur quidem civitas, sed tantummodo « ad honorem » et ex historiae privilegio: re autem vera non superabat 2.000 incolas, de quibus alibi diximus (62). Quod Instituti cunabula fuerint ibidem posita, tribuendum partim manet circumstantiis occasionalibus. Ceterum haud invenerunt sedem stabilem et a loco recesserunt missionarii an. 1738.

2. - *Villa « degli Schiavi »* seu *Villa Liberi* (an. 1734). - Casale pauperrimum in altiplanitie haud procul a Formicola et Caiazzo. Qui oculus ac pedibus non lustraverit « castra » illa, a mundo civili dissita, communicationibus tunc temporis impervia, aegerime penetrabit animam S. Alfonsi, qualem nobis devinari sinunt sacrificia mentis, cordis immo et corporis inhaerentia tali fundationi, suppressae an. 1737.

3. - *Ciorani* (an. 1735). - In dioecesi Salernitana ac consequenter in regione viris apostolicis magis consona, sive ob numerosiores per circuitum pagos ac « terras », sive ob commodiorem itinerandi rationem. Attamen fundatio Iuranensi (Ciorani), sita in quodam angulo feudi baronis Sarnelli, monstravit ab initio sigillum vitae monasterialis, non multum dissimile ab eo quod *Relatio* subintelligit impressum iri « externe » regimini communitatum iuxta schema, quod D. Ioannes B. De Donato adiudicabat S. Alfonso. Diximus « externe » quia S. Alfonsus Iuranis miscere valuit externam vitam anachoreticam, deditam recollectioni atque studio, cum

(62) Cfr *Spic. Hist.*, 11(1963) 359-361.

apostolatu domestico confessionum et exercitiorum spiritualium pro viris laicis atque ecclesiasticis, praeter vigilacem dispositionem manipuli missionarii ad praelia apostolica conserenda in dioecesi Salernitana atque in aliis circumvicinis.

4. - *Nocera di Pagani* (an. 1742). - Fundatio haec, magis conspicua inter primaevae Instituti sedes, fortasse hodie existimatur obtutu initiali quasi minus consentanea Fundatoris proposito, utpote erecta iuxta viam Pompeiae-Salerni, ac finitima Paganensibus domibus: ab his tamen, temporum intervallo per circuitum multiplicatis, longe aberat initio foundationis: ita ut, nihilo secius, missionarii in eadem commorantes et se ipsos enutrient pabulo orationis et promptos sese exhiberent ad evangelizationis excursus foris exsequendos, ultra consuetum domi ministerium pro exercitiis spiritualibus cuilibet fidelium coetui erogandis.

5. - *Iliceto. Ritiro di S. Maria della Consolazione* (an. 1744). - Iam ab ipso officiali titulo (*Ritiro*) prodit foras character specificus huius foundationis, attiguae sanctuario B.M.V. «della Consolazione» prope Bovinum (*Bovino*) et castrum Deliceti (*Deliceto*), inter silvas demanii regii venatoribus aulicis reservatas. Idcirco milites SS. Salvatoris, praesidio quidem sanctuarii mariani invigilabant, at potissimum gaudebant ire praedatum in hostium Christi agros usque ad maris Adriatici oras.

6. - *Caposele. Santuario di Materdomini* (1747). - Castra missionum stativa, partim Ilicetanis similia, sed sub custodia Deiparae praefatum titulum ostendentis. Alfonsiana cohors vigilias ibidem agebat non tantum missionarias atque exercitiorum spiritualium, sicuti Iliceti, verum etiam non raro litterarias, quandoquidem pro temporum opportunitate et in beneficium iuniorum Instituti S. Alfonsus ordinavit sedem studiorum apud Caput Silare (*Caposele*), Ilicetum, Iuranos vel Nuceriam.

*Conclusio* itaque huius brevis elenchationis domorum probat satis superque S. Alfonsum primo sui Instituti quindicennio nullatenus deviasse, quoad foundationes missionaliter instituendas, a propositis quae Scalae suaserunt utriusque Congregationis separationem. Eadem proposita tenuit atque in praxim deduxit an. 1755 pro fundatione S. Angeli a Cupolo supra Beneventum. Attamen, ventennio sequenti, ex una parte prammaticae regiae, ex alia vero crescentes Instituti necessitates etiam oeconomicae adegerunt S. Fundatorem ad revidenda aut saltem emollienda nonnulla fun-

dationum recentiorum statuta : primo siquidem indulsit in Sicilia (an. 1768) quibusdam regiminis localis innovationibus (63) : secundo autem decertavit an. 1777 usque extremos limites in civitate Beneventi, ubi ab Instituto condito praevidebatur instauranda prima fundatio, quae intra vias centrales haereditaret ministeria urbana Societatis Iesu extinctae (64). Interea vero, fere per semisaeculum, obsequutus erat fideliter normis primigeniis in *Relatione* memoratis. Idcirco huius *Relationis* cardo historicus, qualem hoc articulo illustrare conati sumus, fit pro nobis non mera lucubratio historica, sed praesertim fons vitae et perenne magisterium.

---

(63) Alludimus ad munia bini bibliothecarii, quibus fungi tenebantur Patres apud bibliothecam publicam agrigentinam fundatam a Rev.mo Lucchesi. Cfr R. TELLERÍA, *San Alfonso*, II, Madrid 1951, 456. Zelantis Fundatoris indulgentiam ipsemet iustificat scribens : « Questa biblioteca è stata grazia di Dio, perchè la medesima ci assicura che i nostri Padri non saranno cacciati da Girgenti ». *Lettere di S.A.*, II, 84.

(64) Cfr *Lettere di S.A.*, II, 434-440; 469-473. Ibidem sese invicem opponunt S. Fundatoris mens primigenia : « Sei Padri fissi! » (p. 436, id est, ministeriis urbanis devincti et missionibus extra urbem minus prompti : simulque mens temporibus atque adiunctis oeconomicis aptanda : « Questa di Benevento... è l'unica [fondazione] che ci dà pane (p. 472).